



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaiones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio XLIII. De perfectione Angelorum in esse gratiæ, & gloriæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

respondet, & alioqui ruunt argumēta quibus præcipue probant distinctionem modalem in eternorum & mobile, inter que locatum & præsentiam localem: ergo necesse est Angelum prius esse in nouo & nouo spatio, quam subit præsentias, & partes motus localis, huiusmodi spatio respondentes. Atqui hoc ipso quod est in alio & alio spatio, & ab vno alio subit, mouetur localiter: ergo prius mouetur, quam modum illum distinctum

subeat. Ergo ille modus superfluous est, & natura posterior ipso motu. Sufficit igitur distinctio virtualis, propter varias correspondencias possibles, aut actuales, ad varias partes spatij realis, vel imaginarij immobiliter consideratæ, sine qua correspondencia explicari nequeunt differentia præsentiarum, & partium motus: vel etiam quatenus constituit aliam & aliam partem totius præsentia possibili immobiliter spectata.

## DISPUTATIO QUADRAGESIMA TERTIA,

De perfectione Angelorum in esse gratiæ & gloriæ.

- Sectio I. *Utrum Angeli creati fuerint in Beatitudine supernaturali?*  
 Sectio II. *An absolute potuerint Angeli creati in statu visionis beatificæ?*  
 Sectio III. *Soluuntur obiectiones contrariæ sententiæ.*  
 Sectio IV. *An Angeli gratia indiguerint, ut conuerterentur ad Deum, vel ut assequerentur beatitudinem?*  
 Sectio V. *Utrum Angeli sint creati in gratia sanctificanti?*  
 Sectio VI. *An, & quomodo Angeli gratiam & gloriam ex propria dispositione vel ex merito assecuti sint?*  
 Sectio VII. *Quibusnam actibus Angeli boni ad gratiam se disposuerint, ac meruerint gloriam?*  
 Sectio VIII. *De gloria, & beatitudine Sanctorum Angelorum.*  
 Sectio IX. *De Hierarchiis, & officiis Sanctorum Angelorum.*  
 Sectio X. *De custodia Sanctorum Angelorum.*

**H**icque de Angelis naturaliter consideratis. Iam de eorumdem perfectione supernaturali, gratiæ nimirum & gloriæ, eiusque opposito, peccato & damnatione, dicendum superest. De quorum primo D. Thom. q. 62. art. 1. docet Angelos fuisse à Deo creatos beatos naturali beatitudine quia perfectionem huiusmodi naturalem Angelus non acquirit per aliquem morum discursuum, sicut homo: sed statim illam habet, propter naturæ suæ dignitatem. At non fuisse creatos in beatitudine supernaturali, quæ in essentia diuinæ visionis consistit. Quia hæc beatitudo non est aliquid naturæ, sed finis supernaturalis: & ideo non eam statim habuit à principio. 2. Non potuisse ad Deum conuerti sine gratiæ diuinæ auxilio. Quia voluntas non potest ferri in id quod est supra naturam, nisi supernaturali auxilio adiuta. 3. Probabilius esse quod fuerint creati in gratia. Quia dictis Sanctorum id magis consonum est. Et quia sicut in creatione naturæ corporeæ, inditæ sunt ei rationes seminales omnium effectuum naturalium: ita conueniens fuit Angelis statim à

principio dari gratiam sanctifican-  
tem, quæ est semen gloriæ. 4. Opor-  
tuisse ut mererentur supernaturalem beatitudinem. Quia ad ultimum  
finem per suam operationem pertinere debuerunt. Et hæc operatio  
debuit esse meritoria: quia finis ille excedit virtutem operantis, & ex-  
pectatur ex dono alterius. 5. Post primum actum charitatis consecutus  
esse beatitudinem. Quia gratia perficit naturam secundum modum na-  
turæ: Sicut & omnis perfectio recipitur in perfectibili secundum  
modum eius. Unde sicut Angelus statim habet suam perfectionem natura-  
lem, neque per discursum illam acquirit: ita sine mora statim habuit  
gloriam per meritum. Meritum autem beatitudinis non solum in Ange-  
lo, sed etiam in homine, esse potest per unicum actum. Quia quolibet  
actu charitate informato meretur homo beatitudinem. 6. Secundum  
virium naturalium quantitatem, & proportionem, maiorem gratiam &  
gloriam obtinuisse. Tum quia Deus ita conuenienter ordinavit, ut es-  
sent diuersi gradus Angelorum in gratia, æquæ ac in natura. Tum etiam  
quia non habuerunt Angeli quo retardarentur, aut impedirentur, ne  
toto impetu ad gratiam se mouerent cooperando, vocationi diuinæ.  
Ideoque rationabile est, quod Angeli, qui meliorem naturam habue-  
runt, etiam fortius & effusius ad Deum conuersi, sunt. 7. Naturalem  
cognitionem, & dilectionem remansisse in Angelis beatis. Quia natura  
non destruitur per gratiam, sed in illa saluatur, & perficitur. 8. & 9. Bea-  
tos Angelos neque peccare posse; quia qui Deum videt, nihil potest  
agere, nisi attendens ad Deum; neque in Beatitudine proficere; quia in  
vnoquoque motu intentio motoris fertur in aliquid determinatum, ad  
quod mobile, perducere intendit. Ideoque debet esse aliquid deter-  
minatum, ad quod quælibet creatura rationalis à Deo dirigatur, sicut  
ad ultimum finem: & determinatus gradus visionis Dei, seu formalis  
beatitudinis, ad quem perducatur ex prædestinatione Dei. Quo ob-  
tento, ad altiorem transire non potest. Ad hanc quæstionem reuocari  
possunt, quæ habet idem S. Doctor quæst. 108, de ordinibus, & hierar-  
chiis Angelorum: & quæst. 110. cum tribus sequentibus de officiis eo-  
rundem, præcipue de custodia: & quæst. 117. de illorum inter se illumi-  
natione. Sed de illa sufficiunt quæ diximus disp. 39. sect. 7. Reliquæ se-  
quentibus sectionibus explicabuntur.

SECTIO I.

*Utrum Angelicæ creaturæ fuerint in beatitudine  
supernaturali?*

**C**ONCLUSIO negatiua est D.  
Thom. qu. 62. art. 1. eiusque inter-  
pretum ibidem, & Scholasticorum  
in 2. distinct. 4. aut 6. Quæ ut pro-  
betur, suppono primò, quæstionem esse de  
beatitudine supernaturali, perfecta, & con-  
summata: ad quam tria omnino requirun-  
tur. Primum est, clara Dei visio, iuxta illud  
1. Ioan. 3. v. 2. *Videbimus eum sicui est. Et 1.*

Cor. 13. v. 12. *Videbimus nunc per speculum,  
& in enigmate: tunc autem facie ad faciem.*  
Quæ perfecta illa beatitudo consistit, im-  
maliter in summi boni adoptione perfecta,  
quæ est Dei possessio per eius visionem &  
fruitionem. Secundum est, impotentia pec-  
candi. Quia peccatum est summa miseria.  
Hæc autem non potest consistere cum vera  
& perfecta beatitudine. Præterquam quod  
impossibile est Deum clarè videre, & non  
summe amare ac passere. Aliis omnibus.  
Tertium enim est excellentia summa illa be-  
nitas, ut clarè visa rapiat voluntatem, Deo  
que coniungat necessariò, & ad amandum  
toto conatu necessitet: ita ut non possit con-  
naturaliter & citra miraculosam suspensio-

Tria requi-  
runtur ad  
beatitudi-  
nem super-  
naturalem.

nem non agere actu super omnia, illique toto affectu adharere. Qui autem ita affectus est, non potest peccare, & ne deuit quidem Deum offendere, quamdiu talis affectus durat. Tertium est perpetuus status illius beaticifici. Alioquin enim vel metus erit & tristitia, faciant se casuros a tali statu: vel arbor, si perpetuo mansuros credant: vel anxietas & inquietudo, si nesciant, vel dubij sint: quae omnia repugnant verae & perfectae felicitati, qualis est supernaturalis illa, de qua nunc disputamus: non autem de naturali, aut de supernaturali quidem, sed inchoata & imperfecta, quae consistit in statu iustitiae supernaturalis, qualem habemus hac in vita.

2.  
Nelli sunt  
Angeli  
reter  
nos & ma-  
los.

Suppono secundo, non alios esse Angelos praeter bonos & malos. Neque enim alius scriptura commemorat, neque agnoscit ecclesia, neque vlla probat ratio vel experientia. Cumque Deus omnes homines ad felicitatem supernaturalem ordinauerit, iuxta illud, 1. Tim. 2. v. 4. *Omnes homines vult saluos fieri*, voluit pariter & omnes Angelos. Quorum illi qui voluntati & vocatiopi diuinae responderunt, felicitatem reipsa consecuti sunt. Alij qui parere neglexerunt, ad aeternam miseriam fuerunt amandati.

3.  
Angeli ma-  
li non fue-  
runt creati  
in super-  
naturali bea-  
titudine.

His praemissis, manifestum est, Angelos malos non fuisse creatos in beatitudine supernaturali perfecta, de qua loquimur. Primo, quia nunquam Deum clare viderunt. Si enim Deum clare vidissent, primo instanti suae creationis, aut aliquantulum post: vel fuisse priuati hac visione propter peccatum superueniens: vel ex merito Dei beneplacito, qui seipsum clare videndum praebuerit, acquantulum, posteaque sua se voluntate occultauerit. Primum dici non potest: quia visio clara Dei excludit peccatum & peccandi potestatem: vt iam diximus, & fufius ostendimus alibi. Secundum etiam dici nequit, quia *Dei dona sunt sine praesentia*. Roman. 11. *Ei sine vilo fundamento auferretur, Deum aliquo tempore se Angelis videndum praebuisse, posteaque sine vilo demerito se illorum visioni subtrahisse*. Adde, quod clara Dei visio, licet obiter & in casu concessa, reliquisse aliquid in intellectu malorum Angelorum ad memoriam vltis: vt solent nobis actus tamen supernaturales, quam pure naturales. Quaeuis enim visio Dei habeat causas supernaturales, quibus sublati non maneat ipsa, nec aliquid requirens praesentes causas supernaturales: Quaeuis etiam non possint Angeli clara & germanam eius fecundationem habere vtriusque solis naturalibus: tamen consentaneum est, ex visione Dei supernaturali remansurum fuisse, in Angelis aliquid post illam sublatam, quod vehementer illos ad tantum boni recessus expectat possessionem perpetuam obtrinehdam accendisset, adeoque probabilissime a turpi illa apostasia cohibuisset. Praeterea, quamuis Deum vidissent mali Angeli primo instanti suae crea-

tionis: non tamen fuissent perfecta beati, defectu impeccabilitatis, & constantiae in tali statu. Nam Angeli mali peccarunt reipsa, & miserissimi facti sunt.

4.  
Neque enim  
boni An-  
geli.

Quod vero attinet ad bonos Angelos, qui nunc sunt beati, probatur ipsos nos fuisse beatos primo instanti suae creationis, neque iam tunc Deum vidisse: quia vel huiusmodi visionem & beatitudinem obiter tantum & ad breue tempus habuerunt, postea ad statum fidei & peccabilitatis redacti, vel perpetuo deinceps in ea perseverarunt. Primum fundamentum assereretur, & eodem argumento refutari potest, quo supra ostendimus malis Angelis non fuisse concessam obiter Dei visionem. Secundum etiam dici nequit. Ex eo enim sequeretur, bonos Angelos non fuisse in statu in quo peccare possent, eo tempore vel instanti, quo male peccauerunt. At hoc est contra sanctos Patres communiter docentes, bonos Angelos fuisse libera voluntate, & meruisse cum libertate ad peccandum, & deficiendum si voluerint. Probatur maior: quia visio clara Dei reddit viderent impeccabilem ab intrinseco, tantaque est efficacitas propter summam obiecti bonitatem atque pulchritudinem, vt non sinat videntem ab eius vniquam directione super omnia cessare. Ergo si sancti Angeli primo instanti suae creationis Deum clare vidissent, non fuissent deinceps liberi ad peccandum, neque fuissent liberi, malis cadentibus. Suppono enim ex dicendis inferius, peccatum Angelorum vel coepisse, vel saltem durasse post primum instanti suae creationis illorum. Tum quia probabilis est omnes in gratia creatos fuisse, ac proinde peccati mortali fuisse tunc expertes, vt dicemus cum D. Thomae sect. 4. tum etiam quia valde improbabile est assereretur confectum fuisse vnicuique instanti praelium illud magnis, in quo peccarunt multi sollicitante Luciferi rebellium principe, & in suam sententiam complures alios inaequalis naturae & actiuitatis trahente, multisque disceptationibus & colloquijs cum bonis Angelis luctante. Angelos autem bonos etiam tunc libere restitisse peccantibus, liberisque stetit, tradunt communiter sancti Patres, quorum plures refert Suarez. lib. 5. de Angel. cap. 2. sum. 10. 11. & 12. Illustris est locus D. Augustini lib. de corrept. & grat. cap. 11. vbi dicit sanctos Angelos per liberum arbitrium stetitisse cadentibus alijs, & huius mansionis debitam mercedem recepisse. Prosper lib. 1. de vita contemplat. cap. 3. *Voluntatis*, inquit, *sanctorum Angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt. Et diuino iustoque iudicio actum est, vt quae fuit cum Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria salique necessitas. Et id eo quia nec peccauerunt vnquam, nec peccare iam possunt: illius contemplatiuae vitae semel facti participes, inexplabiliter autorem beatitudinis suae conspiciunt: ac merito sua stabilitatis in aeternum felices effecti, de sua mansionis secuti sunt.*

Suar.

Augusti

Prosper

MARTIN  
NEUS  
DEI  
D. VI  
JU

Occurrit  
objectioni.

Neque obicitur contra hunc diffusum, Christum sibi nobisque tota vita sua mortali meruisse, licet in primo instanti suae conceptionis Deum videret, ac secundum mentem beatus extiterit. Et enim Christus non meruit cum peccandi periculo, neque cum peccandi libertate, qualis fuit in Angelis, quaeque repugnat visioni beatifica: sed tantum cum libertate ad actum multiplicationem quorum nullus determinatus necessarius erat ad implendum praecipuum, & tamen singulis implebatur: vel etiam cum libertate ad obtinendam dispensationem praecipui merito positivi, si voluisset: vel ad motiva & circumstantias non praecipuas secundum se. Adde, Angelos non esse hac in parte comparandos cum Christo Dei Filio unigenito, sed potius cum hominibus: adeo ut quemadmodum homines prius sunt viatores, quam comprehensores: & si adulti sunt, ordinantur per propriam cooperationem liberam ad beatitudinem supernaturalem: per actus fidei, ad claram Dei visionem: per spem, ad comprehensionem: per charitatem viam, ad charitatem patriae: per gratiam denique inchoatam, ad consummatam: sic Angeli.

6. Soluitur altera obiectio ex August.

Nasque obicitur quod ait D. Augustin. lib. 11. de civit. cap. 9. initio, Bonos angelos nunquam esse peregrinos a Domino. Loquitur enim de peregrinatione peccati, de qua Petrus epist. 1. cap. 4. Nolite peregrinari in sermone, qui ad tentationem vobis sit: non autem de peregrinatione viae simpliciter, & per fidem, de qua Paulus 2. Cor. 5. Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus. Quod vero ait idem Augustin. lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 16. Angelos omnes fuisse creatos in aliqua beatitudinis luce, in qua peristerunt, si vellet: & bonos quidem perstitisse, malos autem ab illa cecidisse: inquirendum tantum dicitur, & intelligendum est de beatitudine inchoata per fidem, & per alia gratiae dona. Quo sensu ait lib. 11. de civit. cap. 12. primos parentes in paradiso fuisse beatos: & cap. 13. asserit, angelos malos ante peccatum habuisse aliquam beatitudinem. Vel etiam a principio moraliter, id est, non diu post suam creationem, & primo ipso die creationis, beatos fuisse sanctos angelos illa beatitudine, quam nos speramus, in saepe Dei visione & fruitione, ut significat lib. 4. de Genesi ad lit. cap. 24.

SECTIO. II.

Utrum absolute poterint Angeli creati in statu visionis beatificae.

7. Angeli potuerunt creati in

Respondeo potuisse, & quidem multipliciter. Primum, sine libera ipsorum cooperatione, sicut sanctissima Christi anima a primo suae creationis instanti fuit bea-

ta independentem a libero eius arbitrio. Secundum, cum libera cooperatione qua voluerint & accepterint oblatam sibi beatitudinem, solo naturae ordine servato inter hunc actum & beatitudinem, ut servatur inter contritionem, & gratiam, ut eius tanquam dispositionis infusam. Tertio, ita ut eam quoque meruerint. Fieri enim potuit, ut boni Angeli in gloria creati sine praevia illam dispositione, ne quidem naturae ordine operarentur eodem instanti ex charitate & gratia: primoque illo actu bono mererentur gloriam, quam eodem instanti, posterius tamen naturae consequerentur. Neque enim repugnat esse simul beatum, & mereri: alioqui Christus qui semper fuit beatus, nunquam meruisset. Non repugnat etiam dari gloriam in praemium eodem instanti quo est ipsius meritum. Quia cum gloria possit esse simul cum aliquo actu meritorio, ut reipsa in Christo fuit: potest dari eodem instanti quo exercetur ille actus meritorius, in praemium eiusdem actus. Sicut eodem instanti quo iustus meretur augmentum gratiae, datur illi praemium augmenti gratiae. Quod enim potest simul esse cum aliquo, potest dari ipso primo instanti quo illud est.

Sed notandum est primum, tunc merentur naturam tantum prius visione beatifica, non potuisse esse per fidem, sed per aliam cognitionem evidentem, qualem Christus habebat quando merebatur. Ratio est, quia cognitio fidei est obscura, & inevidenter tantum attingit Dei testimonium. Haec autem cognitio non potest esse eodem instanti, quo est beatitudo. Quia beatus scit evidenter se non errare. Ergo scit evidenter revelationem, quam putat esse divinam, verè talem esse. Ergo non potest eodem instanti assentiri obscure propter illam, adeoque non potest credere. Est enim impossibile unum & eundem simul assentiri eadem veritati evidenter & inevidenter, propter unum & idem motuum formam, quae unico actu assentitur, seu pluribus. Et quemadmodum si Deus evidenter alicui revelaret; non crederet ille, sed sciret, posito quod evidens etiam illi. Sed quidquid a Deo revelatur verum esse, ita neque creditur, nisi evidenter se non errare, & revelationem quam putat esse divinam, verè divinam. Tunc enim revelatio fit illi evidens per reflexionem, qua novit evidenter se non posse errare: non minus quam fieret evidens per signum aliquod a Deo exhibitum, quo evidenter patefaceret se revelare.

Idem dico de merito visionis ipsius, praesertim sumptum ab aliis ad perfectam beatitudinem pertinentibus. Quia quod videnti Deum evidenter sunt actus sui supernaturales vi luminis gloriae elevantis intellectum ad distinctam & perfectam eorum intuitionem, aut experientiam & reflexionem virtutalem: evidens iam sit actus supernaturales non posse assentiri falso. Quae supposito evidens illi est, revelationem, cui per actum

statu beatitudinis superat, etiam cum propria cooperatione & merito obtenta.

Non tamen ex actu fidei processit illa cooperatio.

meritorium & supernaturalem assentitur, esse verè diuinam. Ac proinde non potest inueniendè assentiri propter illam.

10. Neque fuisse cum libertate ad peccandum.

Voluntas non est libera ad peccandum eodem instanti quo extinguitur libertas ad peccandum.

Notandum secundò, tale meritum, naturam tantum præcedens visionem Dei datam in prædictum eodem instanti, non potuisse præfisci à voluntate cum potestate libera ad peccandum. Ratio est, quia voluntas non est libera ad peccandum, eo instanti quo extinguitur libertas ad peccandum. Atqui eodem instanti quo est visio Dei, extinguitur libertas ad peccandum: ergo &c. Minor supponitur ex tract. de Beatitudine. Major verò probatur. Quia quòd extinguitur, non est eo instanti quo extinguitur. Ergo si libertas ad peccandum esset eo instanti quo extinguitur, esset eodem instanti & non esset. Secundo, duo status priuatiue oppositi non possunt eodem instanti esse in vno & eodem à parte rei. Sed potentia peccandi, & impotentia peccandi, sunt duo status priuatiue oppositi: ergo non possunt eodem instanti conuenire voluntati à parte rei. Atqui eo instanti quo est visio beatifica, voluntas est impotens ad peccandum: ergo non est potens ad peccandum eodem instanti. Confirmatur, quia non minus se pugnat priuatiue esse potentem, & esse impotentem ad peccandum; quam esse cæcum, & habere videndi facultatem; aut esse passibilem, & esse impassibilem. Atqui repugnat eodem instanti esse cæcum, & habere videndi facultatem; esse passibilem, & esse impassibilem, & scunquè duo rationis aut naturæ singatur inter se in oppositis. Quia cum sint priuatiue oppositi, & absolute incompossibiles, non possunt simul esse. Essent autem simul, si essent in eodem instanti. Ergo non minus implicat, voluntatem eodem instanti esse potentem ad peccandum, & esse impotentem ad peccandum, esse passibilem & impassibilem respectu peccati. Estque aperta contradictio, posse simpliciter aliquid in priori naturæ, & in posteriori naturæ verè non posse illud idem eodem instanti temporis realiter indiuisibili. Quia posse & non posse non plus se compatiuntur eodem instanti, quam esse cæcum & habere visum: id est, esse cæcum, & non esse cæcum: habere visum, & esse illo priuatum.

11. Potentia & impotentia circa idem non possunt esse simul.

Tertio implicat, potentiam instanti quo operatur, reddi impotentem ad suum actum: v. g. oculum, eo instanti quo videt, reddi cæcum. Alioquin esset simul potens & impotens. Ergo implicat voluntatem eo instanti quo libere abstinet à peccato, reddi impotentem ad libere abstinendum. Sed quo instanti est visio Dei, voluntas redditur impotens ad libere abstinendum à peccato. Ergo voluntas eodem instanti non libere abstinet à peccato. Confirmatur, quia implicat, voluntatem eodem instanti habere libertatem contrarietatis seu specificatiouis ad vtrumuis oppositis, & tamen esse necessitatam antecedenter ad vnum ex illis. Atqui eo instanti quo est visio,

voluntas est necessitata antecedenter ad amorem Dei super omnia, quòd est vnum ex oppositis: ergo implicat, vt eodem instanti sit libera ad eliciendum peccati affectum, oppositum amori Dei super omnia. Maior est euidenter. Minor probatur. Quia visio Dei primo instanti quo est, ac semper deinceps quandiu est, trahit voluntatem vi insuperabili ad amorem Dei super omnia, ac proinde imponit illi necessitatem antecedentem ad amandum Deum super omnia: eademque necessitate antecedenti, ac vi insuperabili, retrahit voluntatem à peccato.

Quarto implicat, per actum alicuius potentie extingui ipsam potentiam, eodem instanti quo actus procedit ab illa. Sic enim esset potentia, & non esset eodem instanti. Ex. gr. implicat, per actum potentie visiuæ extingui ipsam potentiam visiuam. Alioquin esset simul potentia visua, quia videret: & non esset, quia extingueretur eodem instanti quo videret. Ergo implicat per actum libertatis ad peccandum extingui libertatem ad peccandum, eodem instanti quo quis exerceat actum illius libertatis. Atqui visio Dei extinguit libertatem ad peccandum. Ergo implicat, per actum meritorium procedentem ex libertate ad peccandum, poni eodem instanti visionem Dei quæ extinguit libertatem ad peccandum. Confirmatur, quia impossibile est libere se priuare vsu rationis eodem instanti, si enim eodem instanti esset vsus rationis & non esset. Ergo impossibile est se priuare libere vsu libertatis eodem instanti. Ergo impossibile est per vsu libertatis ad peccandum, priuare se vsu libertatis ad peccandum eodem instanti. Sic enim libertas ad peccandum esset realiter, & non esset in eodem instanti.

12. Potentia non potest extingui per suum actum.

Quinto, vt voluntas sit libera, & libere se exerceat, debet à parte rei carere omni impedimento, quo insuperabiliter prohibetur ab exercitio libertatis ad peccandum. At quo instanti est visio, est impedimentum insuperabiliter prohibens, & cohibens voluntatem ab exercitio libertatis ad peccandum. Ergo illo instanti non exerceat libertatem ad peccandum, ne quidem prius naturam quam sit visio, id est, per modum causæ meritorie visionis. Quia nisi re ipsa ab sit visio, non abest impedimentum, quamuis singatur esse natura posterior. Et si non abest re ipsa impedimentum, voluntas est impedita re ipsa. Si autem re ipsa est impedita, non exerceat libertatem re ipsa. Confirmatur, quia si visio daretur angelo independenter ab eius actu libero, excluderet vi sua omnem peccandi libertatem, etiam vt naturam priorem. Ita vt quamuis voluntas angeli sumpta secundum se, prout est natura prior visione, & sibi relicta, esset libera ad peccandum: non tamen coniuncta cum visione, quæ vi sua excludit incompatibiliter

13. Libertas debet esse expedita ad operandum.

MARTINUS  
NEUS  
DE  
D. VI  
II

non modo peccatum, sed & ipsam peccandi facultatem. Siue autem detur dependenter ab actu libero, siue independenter, habet eandem naturam & virtutem naturalem. Quare etiam tunc cum datur dependenter ab actu libero, excludit peccandi libertatem. Et proinde implicat, dari dependentem ab actu libero factam cum libertate ad peccandum eodem instanti quo est visio.

SECTIO III.

Obiectiones contrariae sententiae.

14. Primus obiectio.

**O**bjicies primo, ad libertatis exercitium sufficere, quod actus erit a principio, quod ut est prius actu suo, non est necessarium, sed liberè ipsum ponit: licet eodem instanti temporis, consequenter & naturam posterioris, ponatur aliquid, quo posito & stante non sit potestas vel libertas ad oppositum.

Quomodo sit libertas antecedens voluntatis, cum impotentia consequente ex actu libero?

Respondeo, prioritatem illam principij respectu actus elicitum ab ipso, eodem instanti temporis, nihil esse aliud, quam quod principium sit causa talis actus. In eo enim consistit prioritas naturae seu causalitatis. Et actum exire a principio, quod ut est prius actu suo, non est necessarium nihil est aliud, quam produci a principio non necessitate ad producendum. Itaque prioritas principij liberè se exercentis respectu actus liberè elicitum, nihil est aliud, quam talem actum liberè procedere a tali principio. Atqui est impossibile, si liberè procedat, si eo instanti temporis quo procedit, voluntas est necessitata vi insuperabili ad illum ponendum. Est autem necessitata ad Deum amandum super omnia, & ad non peccandum, eodem instanti quo est visio. Quare impossibile est actum, qui eo instanti exercetur a voluntate, procedere a libertate ad peccandum. Atque ita impossibile est esse naturam prioritatem inter principium liberum, & huiusmodi actum: & consequenter inter actum huiusmodi, & visionem beatificam, quae detur eodem instanti propter actum meritorium, exercitum cum libertate ad peccandum.

15. Repellitur instantia.

Dices: quo instanti voluntas se exercet liberè, ponitur actus. Et ex posito, voluntas non potest ponere oppositum. Neque hæc necessitas officit libertati, quia est tantum consequens exercitum libertatis. Sufficitque voluntatem consideratam antecedenter, naturam prius quam actum istum poneret, potuisse non ponere, vel potuisse ponere oppositum. Ergo non repugnat exerceri libertatem eodem instanti temporis, quo consequenter & naturam po-

sterius ponitur aliquid, quo posito & stante non est potestas vel libertas ad oppositum.

Respondeo, cum dicitur voluntatem posito actu non posse ponere oppositum, sensum esse, quod voluntas non possit simul ponere duos actus oppositos, aut coneungere esse & non esse unius & eiusdem actus. Ad quod voluntas non est libera, neque quando actum exercet, neque antea. Sed tantum diuisim ad hunc actum, vel ad illius oppositum. Quo autem instanti liberè operatur, verè habet & exercet hanc libertatem. Quia potest diuisim virtum liberè: nihilque habet quo necessiter ad ponendum actum, quem ponit. Quare actus liberè elicitum a voluntate non officit eius libertati: quia non illam necessitat ad se ponendum, & ad abstinendum ab opposito diuisim: sed tantum quia voluntas non potest simul ponere actus oppositos, ex eo sequitur quod uno liberè posito, non possit alium ponere. Sicut, quia non potest simul operari & non operari, sequitur quod si operetur, non possit simul non operari. Quamuis diuisim possit non operari, illi ipso instanti quo operatur: Quia non operatur, ex necessitate.

16. Secunda obiectio.

Objicies secundo, libertatem antecedentem ad peccandum, & impotentiam peccandi consequentem, non magis repugnare, quam indifferentiam, siue indeterminationem voluntatis antecedentem, & determinationem consequentem. Atqui hæc duo possunt esse simul eodem instanti temporis: suntque reipsum quoties voluntas liberè operatur. Et Deus, tota æternitate fuit determinatus ad actus liberos quos habuit, cum sola prioritate rationis inter ipsius voluntatem ut indifferentem, & determinationes quas liberè suscepit & immutabiliter exercet. Ita ut nullo instanti temporis & nunquam omnino fuerit potens ad oppositum, nisi ratione prius. Quare eius voluntas diuina secundum se sumpta, non est de se necessario annexa huic determinationi, sed ita illam ab æterno suscepit, ut loco illius potuisset si voluisset, suscipere oppositam. Ergo similiter libertas antecedens ad peccandum potest esse in voluntate secundum se sumpta, cum impotentia consequente, orta ex visione datæ eodem instanti temporis, cum solo ordine rationis & naturæ.

17. Quomodo non repugnet indeterminationi antecedenti voluntatis, & determinationi consequenti.

Respondeo negando maiorem. Quia indeterminationis antecedentis voluntatis in actu primo consideratæ, nihil est aliud, quam voluntatem ita esse causam sui actus, ut neque in se ipsa, neque aliunde habeat necessitatem illum ponendi, sed possit ab illo abstinere, aut etiam, ponere oppositum. Determinatio verdè consequens nihil est aliud, quam voluntatem ponere unum actum, potius quam alium, aut quam eius oppositum. At hæc duo non repugnant.

privatiue aut contradictorie; sed optime se compatiuntur in eodem instanti: quod scilicet voluntas, neque in se, neque aliunde, sit necessitata ad actum ponendum; & tamen illum ponat potius quam alium, aut potius quam absteat ab illo ponendo. Saluntur verò aduersarii si putant indeterminationem voluntatis antecedenter sumpta consistere in eo quod voluntas vere careat actu & determinatione, quam exercet illo instanti: ita vt eodem instanti temporis sit & non sit determinatio. In quo esse aperta contradictio: sicuti est in eo quod eodem instanti temporis voluntas sit vere à parte rei potens, & impotens ad peccandum: quemadmodum esset, si eodem instanti quo est visio beatifica posset peccare. Similiter autem indeterminatio antecedens diuinæ voluntatis nihil est aliud, quam illam tota æternitate antecedente non habuisse neque in seipsa, neque aliunde, necessitatem suscipiendi has determinationes, potius quam oppositas. Quamuis nunquam illis caruerit, & nullum sit instans in quo illas iam præhabitas deponere potuerit, ob perfectissimam voluntatis illius immutabilitatem, & iudicium intellectus diuini dictantis, indecens sibi esse curare vel deponere determinationem hęc susceptam.

18. Dices, non minus contradictorie repugnare, posse non habere, & non posse non habere eandem determinationem: quam posse peccare, & non posse peccare. Sed Deus nunquam potuit non habere determinationem, quam habet: quia nunquam non habuit, & habitam deponere non potuit. Ergo nunquam potuit eam non habere. Sed hoc est falsum: quia si liberè habuit, potuit illam non habere. Ergo potuit eodem instanti non habere antecedenter, & non potuit non habere consequenter. Ergo similiter potest quis habere potentiam peccandi antecedenter, & habere eodem instanti impotentiam peccandi consequenter.

Respondeo Minorem esse falsam, sumendo, nunquam, pro tota æternitate à parte ante collectiue. Quamuis enim nullum sit tempus aut instans distributiue, in quo Deus potuerit non habere determinationem, quam nunc habet: quia nullum est tempus vel instans distributiue, ante quod non fuerit illa determinatio æterna, quæ semel habita, non potest deponi: Non tamen fuit habita ante totam æternitatem collectiue: idcirco Deus non fuit necessitatus tota æternitate ad illam habendam ratione suæ immutabilitatis, quæ eam non postulat vt non deponat determinationem iam semel habitam: non autem vt necessitatus illam suscipiat ab æterno, seque stringat ad illam necessitatem nunquam deponendi.

19. Obijciat tertio: Posset Deus cum aliquo sic nasci, vt eodem instanti, quo

actum charitatis eliceret, gratiam ipsam funderet, ipsumque in perpetuum confirmaret. In gratia independenter ab actibus futuris. Quia suppositione facta non posset ille neque pro eo instanti, neque in posterum peccare. Quæ tamen impotentia esset effectus voluntatis liberè non peccantis, sed amantis cum posset non amare. Ergo potest aliquis per actum exercitum cum potestate ad peccandum, amittere libertatem ad peccandum. Ergo ex eo capite non repugnat dari viuens Dei intuitu actus exerciti cum libertate ad peccandum eodem instanti.

Respondeo, impossibile esse Deum pacisci cum aliquo de infundenda ipsi gratia inamissibiliter, ipsum in gratia confirmando, intuitu actus amoris liberi elicitu ex libertate ad peccandum: & simul vel subtrahere illi concursum tunc necessarium ad peccandum, vel aliquid aliud ponere vi sua cohibens voluntatem insuperabiliter à peccato. Tunc enim posset & non posset simul peccare, quod est contradictorium. Quare in casu quem ponit obiectio, necessarium esse voluntatem posse peccare illo instanti quo gratiam accipit: cuius presentia non terrahit insuperabiliter voluntatem à peccato, quamvis nunquam de facto sit simul cum peccato, quia Deus decreuit nunquam illam inpendere aut conseruare in eo qui mortali peccato est infectus: idque propter aliquam congruentiam in natura gratiæ fundam: sed non propter naturalem aut absolutam impossibilitatem gratiæ cum peccato, multoque minus cum potestate & libertate peccandi. At visio Dei opponitur ex natura sui incompatibiliter non modo peccato, sed & ipsi libertati peccandi.

Ipsa quoque confirmatio in gratia, pro tempore sequenti nunquam amittenda, si fiat, qualis fieri solet, per specialem preuentiam erga confirmatos, subtrahendo illis peccandi occasiones, & preueniendo auxiliis congruis præuisis per scientiam mediam: non tollit peccandi potestatem. Secus autem si fieret per subtractionem concursus necessarij ad peccandum: aut per appositionem alius vi sua cohibentis insuperabiliter à peccato, & necessitantis voluntatem ad oppositum; cuius modi est visio beatifica.

20. Obijciat quarto: Vt voluntas sit libera ad aliquem actum exercendum, non est necesse vt acta habeat omnia ad agendum necessaria, sed sufficit vt in ista Deus sit habere si velit. V. g. Qui non legit defectu luminis quod potest habere si velit, vel clausis oculis, quos potest aperire: licet non legit, & peccat, si teneat legere. Qui etiam liberè claudit oculos ne videat, potest eodem instanti non claudere, & videre si velit. Quamuis ex suppositione quod claudit, habeat potentiam videndi impediam. Ac si videns iam ob-



secundum, teneatur continuare visionem sequente instanti, claudatque liberè oculos sequenti instante, peccat sine dubio: quamvis ex suppositione quòd clausit oculos Mo. instanti, non possit videre eodem instante, id est, non habeat omnia ad videndum necessaria, quoniam vnum est carentia impedimenti. Sic etiam qui peccat mortaliter per omissionem actus meritorii, perdit habitum charitatis, eo instanti quo peccat. Et tamen peccat liberè, licet eodem instanti perdat habitum charitatis seu gratiæ, quo constituitur in esse principii, seu potentie completæ ad merendum. Sed nihilominus est liber eo instanti ad merendum, quia habet in manu sua & potestate libera complementum illud. Pendet enim ab eius libertate ut retineat habitum charitatis, & illo bene vitatur ut debet.

22. Respondent aliqui, talem posse mereri eo instanti quo omittit scienter & liberè, peccatque mortaliter peccato omissionis, ut supponimus: quia est completè potens eo instanti, non per habitum charitatis quem perdit, sed per auxilium extraordinarium à Deo oblatum & paratum loco habitus. Sed contra: primò, Auxilium non sufficit, ad hoc ut actus sit meritorius, ut suppono extract. de merito. Secundò, illud auxilium extraordinarium est posterius omissione. Ergo per illud non constituitur potentia completè potens ad merendum aut liberè omittendum. Consequentia patet: quia quod se tenet ex parte potentie, & illam constituit completè potentem in actu primo, est prius actu secundo, id est, effectu seu operatione potentie. Antecedens verò probatur: quia auxilium illud extraordinarium, secundum Deum, originem, non datur nisi propter defectum habitus supernaturalis, quem suppleat. Ergo supponit habitum amissum esse. Ergo supponit peccatum omissionis, propter quod habitus amissus est. Quod dixi de omissione actus meritorii, dici potest de omissione libera actus simplicis charitatis, quem iustus hic & nunc teneatur exercere, scienterque & liberè non exerceat. Nam hoc secundum argumentum æque de illo concludit.

23. Antè ergo respondendum est, concedendo antecedens obiectionis, dummodò sit verè in potestate voluntatis liberè velle cætera necessaria: & ad illius volitionem libera pendeat, quòd eodem instanti adsint, si velit, omnia alia ad agendum necessaria. Sicut res habet in exemplis allatis. Sed nego ita rem haberi in eo de quo disputamus, nempe in exercitio libertatis ad peccandum, eodem instanti quo est visio beatifica. Nam eo instanti non est in potestate voluntatis liberè velle peccare: sed est verè impotentia volendi peccare, & necessitas amandi Deum super omnia. Visio enim retrahit illam insuperabiliter à peccato, & extinguit pe-

candi libertatem eadem vi, quæ imponit necessitatem amandi Deum super omnia.

Porò in exemplis allatis voluntas non est actu completè potens ad exercendos actus illos, ad quos deest aliquid necessarium, puta ad legendum vel merendum. Sed virtualiter tantum, quatenus potest habere si velit, & potest illo instanti liberè velle habere: quòdque non habeat, pendeat libero ipsius exercitio. Estque natura prius ipsam liberè non velle habere lucem, vel non velle aperire oculos ad legendum, aut liberè omittit actum meritorium, quam sit illi imputabile quòd non legat, aut quam prioretur habitu charitatis. Nam hæc privatio est pœna omissionis. Et non legere non est imputabile, nisi per extrinsecam denominationem ab actu interno voluntatis, volentis aut non volentis efficaciter legere. Neque propterea habitus charitatis pendet in conservari ab actu, cuius hoc instanti est causa, si ponatur loco omissionis: sed pendet tantum in conservari à Deo, non destruyente, neque destructivo, nisi prius naturà committatur peccatum mortale omissionis, & abstinentiæ libera ab illo actu amoris præcepto, in casu de quo loquimur: aut generalius loquendo, nisi prius naturà voluntas peccet mortaliter peccato aliqua commissionis aut omissionis. Cuius tamen oppositum non esset causa conservans gratiæ & charitatis. Aliud enim est non ponere causam destructionis, & aliud conservare. Ex. gr. Qui hominem non occidit, non ponit causam destructionis ipsius: sed nihilominus non ipsam conservat.

SECTIO IV.

*Utrum Angelis gratia indueretur in conversionem ad Deum, vel ut assequerentur beatitudinem?*

Respondet affirmativè cum D. Thom. q. 62. art. 2. Pro quo suppono primò, sermonem esse hic, non de naturali conversione in Deum, ut finem naturalem, quam conversionem concedit merito D. Thom. naturalibus viribus Angelorum art. 4. ad 7. & q. 69. art. 1. sed de conversione supernaturali, & utili ad Deum ut ad finem supernaturalem. Quæ conversio duplex est, ex eodem D. Thom. q. 62. art. 3. una beatificatio altera meritoria, tertia assistitua ad beatificationem. Suppono secundò, nomine gratiæ intelligi hoc loco donum seu beneficium divinum, ex vi cuius creationis aut nature rei non debetur. Suppono tertio, ea quæ de gloriæ supernaturalitate, & gratiæ necessitate dicuntur in Scripturâ, generatim intelligenda esse, non solum de hominibus, sed etiam de Angelis. Sic enim docent Sancti Patres

Refellit quorundam responsio.

Vera solutio tertia obiectionis.

23. D. Thom. affirmat.

communiter, Basil. Didym. Cyrillus Hierosol. Ambros. Augustin. Fulgent. Damasc. & alii locis relatis à Suare lib. 5. de Angelis cap. 1. num. 8. & sequent. Idque tanquam fide certum docent communi consensu Theologi, propter illud Roman. 12. Gratia Dei vita aeterna. Et 2. Timoth. 6. Qui lucem habitat inaccessibilem: & propter aedificationem Concilii Viennens. in Clement. An. 1. de Hæreticis: ubi dicitur, naturam intellectualem (id est, Angelos æque ac homines) non esse naturaliter beatam: & animam debere elevari lumine gloriæ, ut Deum videre possit. Et in celsura Pii V. & Greg. XIII. contra Michaëlem Baïm art. 3. 6. 18. 24. & 25. statuitur, hominem adhuc integrum, & Angelos debuisse elevari per dona supernaturalia, ut mererentur vitam æternam: debuisse sublimari per gratiam adoptionis.

Suar.

Viennens.

Pius V.

Angeli  
querant  
gratia præ  
destinatio  
nis.

27.

His præmissis manifestum est, gratiam Angelis multipliciter necessariam fuisse. Primum enim, cum clara Dei visio, & reliqua beatitudo, sit illis supernaturalis, æque ac hominibus, gratiæ beneficium fuit, & donum naturæ non debitum, quod Deus ex merito suo beneplacito ad finem illum supernaturalem Angelos ordinaverit, & non in puris naturalibus reliquerit. Acque hæc fuit gratia prædestinationis.

Secundò, cum Deus Angelos, quippe intellectuales & liberos, prædestinaverit ad beatitudinem consequendam per media convenientia, id est, per proprios actus liberos & morales, media autem convenientia debeant esse ei proportionata: consequens est, ut actus illi fuerint supernaturales, ut finis, & ex gratia procedentes. Nam actus non procedentes ex gratia, sed ex pura natura, essent pure naturales. Ergo improporcionati beatitudini supernaturali. Neque enim visio Dei, & reliqua beatitudo, esset Angelis superparticularis, sed ad eam possent sufficere se dispositio viribus naturalibus. Quare ad huiusmodi actus exercendos, necessaria fuit illis gratia præcedens, seu gratia vocationis, id est, auxilium speciale illuminationis & præmotionis, quod Deus intellectum & voluntatem prævenit ad eiusmodi actus liberos conformationis actualis in Deum exercendos: cum etiam gratia concomitans, & physice cooperans in ipso exercitio actus liberi supernaturalis consensus in vocatione, seu conversionis libera actualis in Deum. Verum enim est etiam de Angelis illud Apostoli: *Nemo potest dicere Dominus Iesus* (vel *Traxit ad vitam æternam*) nisi in spiritu sancto, ut expressè tradit Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 16. Et D. Augustin. lib. 12. de civit. cap. 9. dilertè affirmat gratiam excitantem & cooperantem fuisse sanctis Angelis necessariam, ut Deo amplexu casto adhererent. Et verò gratia non est tantum necessaria hominibus propter peccatum ad huiusmodi actus: sed ob naturæ improporcionem, propter quam non possunt viribus solis naturalibus convenienter se disponere

Basil.  
August.

ad gratiam sanctificantem, & ad gloriam: id eoque etiam in statu innocentie gratia indiguissent. At Angeli sunt similitè improporcionati ad gratiam & beatitudinem supernaturalem. Ergo gratia pariter indigent.

Tertiò, ut Angeli essent sancti & iusti, priusquam beati & gloriosi; necessaria illis fuit gratia habitualis, siue habitus gratiæ sanctificantis, & inhabitatio specialis Spiritus sancti. Sanctificatio enim non est absque spiritu. Nec celorum virtutes supra naturam sanctæ sunt, inquit Basil. loco cit. Et D. Augustin. ubi supra, de Angelis æque ac de hominibus intelligendum est, ait illud Pauli ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Similia tradunt Damascen. lib. 2. de fide cap. 3. & Didym. initio libri 1. de Spiritu sancto, ubi generatim affirmat omnem creaturam quæ sancta est, non ex sua substantia, sed ex communicatione alterius sancti, sanctam personæ. Hæc ergo fuit gratia sanctificationis, per quam Angeli habitualiter iusti & sancti, & filii Dei adoptivi, atque hæredes vitæ æternæ, configuri fuerunt.

28.

Et gratia  
sanctifican  
tes

Damasc.  
Didym.

Quartò, quod Angeli boni, malis cadentibus perstitierint in gratia, & sollicitantibus ad peccandum restiterint, aut Deo aliquid exigenti paruerint, contra quam Angeli rebelles & Apostatae, gratiæ donum fuit. Gratia scilicet perseverantia, de qua Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 3. ait, *sanctos Angelos veram Dei dilectionem & perseverantiam in illa gratis & ex divina inspiratione ac dono, non minus quam homines accepisse.* Et lib. 2. ad Thrasimund. cap. 3. dicit, eandem gratiam operari in homine ut resurgat, quæ in Angelo, ne caderet, operata est. Similia habet Beda in Psal. 32. eoque refert allegoricè illud eiusdem Psalmi, *Verbo Domini caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum:* id est, inquit, quod caelestes exercitus Cherubim ac Seraphim prævaricante Diabolo perstitierunt, non ex se, sed ex Domino Patre, & Verbo eius habuerunt: & non pars virtutis, sed omnis virtus eorum est ab spiritu oris eius.

29.

Et gratia  
perseveran  
tia.

Fulgent.

Beda

Quintò, si Angeli gloriam perseverant de condigno, ut docet S. Thom. quaest. D. Thom. 6. art. 4. & nos inferius dicemus cum communi sententia; gratiæ beneficium fuit, cum quod Deus illam merito subiecerit, Angelisque, sicut hominibus, non solum in hereditate, sed & in præmium ac mercedem proposuerit: tum etiam quod Angelos in actu principii, seu principio completo & sufficiente ad condigne merendum constituerit: tum denique quod ad merendum, id est, ad actum meritum exercendum, excitarit & auerit per gratiam prævenientem, & concomitantem seu cooperantem. Ad merendum autem ex parte principii necessaria est gratia sanctificans, quæ est radix & principium meriti.

30.

Et gratia  
ad merendum  
necessaria.

MARTIN  
NEUS  
D. VI

Trident. me. 1. vt docet S. Thom. 1. 2. q. 114. articulo secundo, & confirmat Trident. sessione 6. cap. 16. Quare gratia habitualis non fuit tantum Angelis necessaria, vt essent sancti formaliter, & illi, & ad beatitudinem vt ad hereditatem ius haberent: sed etiam vt tanquam ad coronam iustitiae, & mercedem repositam iustis diligentibus Deum, id est, ex charitate supernaturali operantibus.

31. Et denique gratia glorificationis. Sexto denique, gratia beneficium horum omnium consummatio per donum glorificationis: cum Deus re ipsa vocatis, consentientibus, iustificatis, perseverantibus, & bene meritis, clarum sui visionem, & alias partes vel adiuncta supernaturalis beatitudinis contulit. Quae quamuis sint dona iustitiae, quatenus dantur titulo meriti: sunt tamen dona gratiae in radice, quatenus ipsa merita fundantur in gratia, & omnia pendent a prima vocatione aut dispositione pure gratiae. Sicque demum, vt ait apostolus ad Rom. 8. v. 30. Quos praedestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & iustificavit: quos autem iustificavit, illos & glorificavit, perseverantes scilicet usque ad finem viae, id est, temporis ad salutem suam procurandam concessi, & afferentes merita & dispositiones ad consequendam gloriam necessarias secundum Dei ordinationem.

SECTIO V.

Utrum Angeli sint creati in gratia sanctificante?

32. Omnes Angeli aliquando in gratia. Deo primo, omnes Angelos fuisse aliquando expertes omnis culpa in statu gratiae sanctificantis. Id vt minimum probabilius esse docent D. Thomas quaest. 62. articulo 3. Caietanus, Bañes, & alij Thomista ibidem, Albert. 2. parte Summae tract. 4. quaest. 18. mens. 1. Capreol. in 2. dist. 4. quaest. 1. art. 3. contra quintam conclusionem: Durand. ad eandem distinctionem quaest. 2. Gregor. Ariminens. quaest. 1. art. 3. conclus. 1. Maior ibidem quaest. 1. Gerson. 4. parte in princip. in sermone d. Angelis, & alij quos e recentioribus sequuntur Valquez disp. 227. cap. 2. & sequentibus, Valent. q. 13. de Angelis, puncto 1. Saar. lib. 5. cap. 3. num. 6. & plures alij.

Probatur ex scriptis. Probatur primo ex Scriptura, Isaia 14. v. 12. Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris &c. vbi licet ad litteram sit sermo de Nabuchodonosore Rege Babylonis: tamen in sensu mytico de Lucifero Principe Angelorum rebellium id intelligunt multi Patres, vt Origen. 4. Periarch. cap. 2. Tertul. lib. 5. aduersus Marcion. cap. 17. Athanas. libro de Passione Christi Tomus I.

ai & cruce, Euseb. lib. 4. de preparatio- ne Evangelica cap. 9. Hieron. & Cyril. in cap. 14. Isaia, Ambros. in illud psal. 118. Incipisti superbor, Augustin. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 37. Gregor. lib. 4. epist. 38. cap. 82. Bern. serm. 2. in octauam Pascha. Tam grauis autem interrogatio, & admiratio, videtur probabiliter specialem emphasim habere, & significare Iasum non tantum e celo materiali, sed ex eminenti quadam dignitate & excellentia: supernaturali scilicet: naturalem enim non amisit.

Hic etiam facit illud Ezechielis 28. v. 12. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fusti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, &c. & paulo post, 14. In medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in vijs tuis, a die conuersionis tuae, donec inuenta est iniquitas in te. Quae licet ad litteram dicta de Rege Tyri: tamen de demone rebellium principe intelliguntur passim a Patribus, Origen. lib. 1. Periarch. c. 8. Tertul. lib. 2. contra Marcion. cap. 10. Ambros. lib. de Paradiso cap. 2. Hieron. & Theodor. in hunc locum Ezechielis, August. lib. 1. de Genesi ad lit. cap. 25. Cyril. lib. 3. in Ioan. cap. 29. Gregor. libro 32. Moral. cap. 18. alias 24. & communiter a recentioribus interpretibus: qui ponderant primo verba illa, Tu signaculum similitudinis, Dei scilicet, reum singulari excellentia. Vnde Gregor. libro 32. Moral. cap. 18. Quid boni non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit? Secundo, per verba illa, in medio lapidum ignitorum, intelligunt sanctos Angelos charitate flagrantis & ignitos, vt S. Augustin. lib. 11. de ciuit. cap. 15. & Gregor. loco supra citato: atque adeo Luciferum, in medio eorum positum, instar Regisupati aulicis, quando inter eos ambulat, eodem igne flagrat. Tertio, verba illa, plenus sapientia & perfectus decore, & perfectus in vijs tuis, donec inuenta est iniquitas in te, probabiliter significat perfectionem & iustitiam super naturalem, a qua Daemon excedit. Narrata enim dona non solent in Scriptura antepetere exaggerari.

Adde illud Iuda 6. dictum generaliter de Daemonibus, Angelos qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum dominium, in iudicium magnum diei, vinculis aeternis sub caligine seruauerunt. Constat autem Demones non fuisse priuatos naturali principatu, neque scientijs, & facultatibus bonis naturalibus, secundumque est naturalis subordinatio inter malos Angelos. Neque etiam fuerunt exlo. exclusi, & priuati aucte incolarum caelestis domus, nisi propter peccatum, & amissionem gratiae supernaturalis, cui haereditas iure debetur gloria. Adde etiam illud Iob 4. v. 18. Ecce qui seruum eius non sunt stabiles, sed in Angelis suis reperitur prauitate. Vbi Angelos apostatas, qui se-

34. X x x

Euseb. Hieron. Cyril. Ambros. August. Gregor. Bernard.

Origen. Tertull. Ambros. Hieron. Theod. August. Cyril. Gregor.

August. Gregor.

34.

uiunt Dei iustitia; dicit stabiles non fuisse, quia non permanserunt in gratia & iustitia, quam acceperant: vt interpretantur P. Thom. ibidem, & Hieronymus loco infra citando. Quod confirmari potest ex collatione huius loci cum altero Ioan. 8. v. 44. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit. Vbi videtur p obabiliter nomine veritatis intelligitur integritas, rectitudo, & perfectio gratia, iustitia, & sanctitatis in qua fuerat conditus a Deo, vt affirmat Cornel. ibidem: licet Maldon. & Tolet. ibidem, & Vasques disp. 227. cap. 3. aliis multis modis locum illum exponant: praesertim de veracitate, in qua Diabolus non stetit, id est, non eam seruauit, mentiendo primis Parentibus, quando Euam in fraudem induxit.

D. Thom. S. Hieron.

Cornel. Maldon. Tolet. Valq.

35.

Coatur ex SS Patribus Cyprian. Hieronym.

August.

Gregori. Anselm.

36. Basil.

Theodoret.

Damascen.

Probatur secundò ex Patribus Cypriano, lib. de zelo & liuore, initio, vbi asserit Dæmonem aliquando fuisse Deo acceptum & charum: Hieronymo in illud Osee 3. Et diligunt vinacia vuarum: vbi addit, Quae vicia non habent, & pristinam gratiam præderunt: sicut Dæmones, qui lapsi de propria dignitate, & nihil antiqua gratia possidentes, aridi sunt. Et in illud Iob 4. Et in Angelis suis reperit prauitatem, dicit, hæc verba intelligi de Diabolo, qui quondam, vt alij legunt, quodammodo, sanctus fuit, & in veritate non stetit. Augustinus licet aliquot locis dubiis videatur; aliis tamen id affirmat, vt lib. 12. de ciuit. cap. 9. circa medium, vbi dicit, Deum creasse Angelos, simul in eis condendo naturam, & arguendo gratiam. Unde, inquit, sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est. Illi autem, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt, mala propria voluntate, quam bona natura non fecit, nisi quantum a bono sponte defecit, & mali causa non sit bonum, sed defectus a bono: ad minorem acceperunt amoris quædam gratiam, quam illi qui in eadem persistuerunt: aut si verique non equaliter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuui ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam caros certissimi fierent, perueniunt. Idem docent Gregorius magnus, locis supra citatis, & Anselmus lib. de casu Diaboli cap. 4. 17. & 27. vbi manifestè supponit, omnes Angelos fuisse in iustitia creatos, eamque non a se, sed a Deo accepisse: malos autem per peccatum illam perdidisse.

Et Græcis verò Patribus idem diserte tradunt Basilii in Psalm. 92. vbi dicit, Angelos simul eum conderentur sanctificatos fuisse: & prima constitutione, & quasi quadam consperione sua substantia, simul in vitam habuisse sanctitatem: Theodoret. lib. 5. hæretic. fabul. cap. de Diabolo, vbi asserit Diabolum perdidisse excellentiam, quam prius acceperat, qualem describit Ezechiel cap. 28. Damascenus lib. 2. de fide

cap. 3. & 4. vbi docet Angelos omnes a Deo creatos, fuisse sanctificatos pro suæ quemque dignitate, & ab eo splendore percipisse Angelos malos. Anastasius Nizan. in questionibus Scripturæ quæst. 61. vbi asserit, Dæmones per peccatum excidisse ab honore qui prius fuerat eis datus ab initio. Fauet etiam Concilium Braccarense 1. Can. 7. cuius verba hæc sunt: Si quis dicit Diabolum non fuisse prius Angelum bonam à Deo creatum, anathema sit. Rationem eiusdem assertionis reddemus paulò post in confirmatione sequentis conclusionis.

Dico enim secundò, probabilius esse Angelos omnes fuisse creatos in gratia ita vt ipso primò instanti suæ creationis fuerint omnes sancti, & Deo grati. Hanc assertionem tradunt S. Thomas 2. 2. art. 3. Molina, Vasques, Valent. locis supra citatis, Suarez lib. 5. cap. 4. num. 6. & alij communiter, fauetque imprimis illud Ezechiel. 28. v. 15. Perfectus in viuitus à die conditiõis tuæ, donec inuentus est iniquitas in te. Fauet etiam quod primus Patris creatus fuerit in gratia, vt communiter docent SS. Patres ad illud Genes. 1. Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: Et Ecclesiasticus 7. v. 30. Deus fecit hominem rectum. Etique de fide ex Tridentinò sess. 5. Can. 1. & 2. per primum Adæ peccatum amissam fuisse iustitiam, quam sibi nobisque acceperat, & in qua fuerat à Deo constitutus. Licet autem vel inde, vel aliunde ponatur, id constet, quòd Adam in puncto creationis sanctitatem acceperit, an verò post: magis tamen consentaneum videtur perfectioni operationis diuinæ, vt in ipsa creatione simul gratiam infunderit primo Parenti: de cuius prima sanctificatione, vt posterius facta, nihil seorsim narratur in principio Genesios, neque in alio Scripturæ libro. Siue autem primus homo sanctitatem in puncto creationis acceperit, ob beneficentiam solam & maiorem Dei liberalitatem, siue ob propriam dispositionem: par est ratio de Angelis, quos Deus omnes non minus ad gloriam prima intentione ordinauerat; quique sunt multò celerioris & perfectioris intelligentiæ & voluntatis, quàm homines.

Idem secundò tradunt sancti Peres, Basilii in Psalm. 32. ad verbum illum, Verbo Domini caeli firmati sunt: vbi dicit, Angelos fuisse per Spiritum sanctum iustificatos in ipsa creatione. Angelos namque initio vt essent, Verbum omnium opes condidit: sanctificationem verò simul impendit ipsi Spiritus sanctus. Neque enim in infanti statu creati, deinde paulatim exercitati, sic spiritus susceptione apti sunt habiti: sed in ipsa constitutione & quasi quadam consperione sua substantia, simul ususam habere sanctitatem. Et D. Augustinus lib. 12. de ciuit.

Anastasi.

Braccar.

37. Probabilius est omnes Angelos fuisse creatos in gratia.

Trident.

38. Basilii.

August.

cap. Angelos cum bona voluntate creavit  
Deus, simul eius condens naturam, & lar-  
gens gratiam. Idem alii Patres locis à  
Ireneo & Modesto relatis.

39. Accedit tertiò ratio probabilis S. Thomæ  
quæst. 62. art. 3. in corp. ubi postquam  
affirmavit sententiam istam, videlicet san-  
ctorum Patrum sententiam conformiorem, ad-  
dit esse rationi quoque & ordini diuinæ  
providentiæ magis convenientem. Quia,  
vt notat Augustin. lib. 8. de Genesi ad  
lit. cap. 3. Quæcunque corpora successu  
temporis sunt creata, ea in prima condi-  
tione fuerunt producta, secundum femi-  
nales quædam rationes. Ergo similiter  
opus supernaturale beatitudinis, quod  
temporis successu à Deo perficitur, fuit  
in prima creaturæ intellectualis produ-  
ctione factum à Deo secundum feminalem  
quædam rationem. Atqui feminilis ratio  
beatitudinis est gratia sanctificans :  
ideoque .i. Ioan. 3. vocatur semen Dei.  
Ergo in prima creaturæ intellectualis produ-  
ctione, quæ fuit productio Angelorum  
sunt producta in illis gratia. Hinc  
collige, Angelos simul cum gratia sancti-  
ficante virtutes illas infusus gratiæ affectus  
accepisse : itaque ius ad auxilia his vir-  
tutibus exercendis convenientia. Sunt  
enim hæc omnia vel ex natura rei, vel  
Dei ordinatione connexa, vt dicemus in  
tract. de gratia, & iustificat.

40. Contrarium sentiunt Magister in 2. dist. 5.  
q. 2. Bonavent. ibidem dist. 4. art. 1.  
quæst. 2. Ricard. eodem dist. 4. art. 2. q. 2.  
Argentinus quæst. 1. art. 2. Bassol. quæst. 2.  
art. 3. & Aegid. quæst. 1. art. 3. qui vlti-  
mus in eo conveniunt, quod putant ma-  
los Angelos nunquam fuisse in gratia :  
Probant .i. ex Scriptura Ioan. 3. v. 8. Qui  
facit peccatum ex Diabolo est : quia apprehendit  
Diabolus peccare. Et cap. 8. v. 44. Vos ex  
patre Diabolo estis, & desideria patris vestri  
vultis facere. Ille homicida erat ab initio,  
& in veritate non stetit. Sed prioris loci  
sensus est, Diabolum ab initio mundi, mor-  
raliter & non mathematicè sumpto, peccasse  
vel peccasse deinceps pertinaciter & con-  
tinuè, ex quo primum cepit peccare. Posteri-  
oris loci sensus est, Diabolum ab initio mun-  
di moraliter sumpto, nile reu homicidii, non  
modò quando Cadum ad Abelis fratrici-  
dium impulit : sed etiam quando eius  
invidia mors introiuit in orbem terrarum,  
propter peccatum primi Parentis, eius  
solicitatione commissum : Qua de causa  
Iudæi mortem Christo inferre parantes,  
dicuntur esse eius filij per imitationem.

41. Obiiciunt secundò Alud. Ezechiel.  
28. v. 13. Foramina tua in die qua con-  
ditus es preparata sunt, &c. Qui locus  
iuxta Gregorij magni Interpretationem  
significat Demonem creatum esse capa-  
cem charitatis : quæ si repleti voluisset,  
stantibus Angelis, tanquam positi in regis  
ornamento lapidibus, inherere potuisset. Rel-

pondeo, ommissis aliis expositionibus, quæ  
apud Cornelium aliosque Interpretes vi-  
deri possunt, & admittam illam quam Gre-  
gorius isti tradit; posse ipsum intelligi,  
ac debere, ne alioqui sibi ipsa contradicat  
locis supra citatis, de charitate non sim-  
pliciter, sed aucta per merita, vt indicat  
verbum, repleti : vel etiam consummata  
per beatitudinem & gloriam, vbi cha-  
ritas in actu secundo tantò magis &  
intensior est, quanto visio Dei præstat  
actui fidei.

Obiiciunt tertiò illud Ioannis, Papæ  
can. Visis literis 16. quæst. 2. ubi de Dia-  
bolis dicitur : *Dolet enim satis & erubescit, cha-  
ritatem quam in celo nequisit habere, homi-  
nes constantes ex lutea natura tenere in  
terris.* At homines tenent in terris cha-  
ritatem quâ iustificatur apud Deum :  
Ergo Demones illam nequisit habere  
in cælis. Respondet, particulam,  
nequisit, significare impotentiam ha-  
bendi post lapsum, id est, recuperandi  
charitatem, defecta vocationis, ad po-  
tentiã supernaturalem, sine qua re-  
cuperari non potest. Cui expositioni  
fauet, quod in aliquibus exemplariis  
legitur, nequit, vt notat Vasq. disp. 227.  
cap. 4. Vel etiam sensus est, dolere Da-  
monem, quòd nequiverit, non ab-  
solute vel antecedenter, sed consequenter  
ex inconstantia & vitio suæ voluntatis,  
habere perseveranter charitatem, quam  
videt multos homines, lutea licet natura  
constantes, & longè fragiles, tenere  
constantè.

SECTIO VI.

An, & quomodo Angeli gratiam & gloriam  
ex propria dispositione vel ex merito  
assecuti sunt?

Deo primò potuisse Angelos primam  
gratiam habitualement, quam primò  
instanti acceperunt, per propriam co-  
operationem liberam, velut dispositio-  
nem naturam præiudicantem, & pro-  
babile esse, sed incertum tamen, quòd  
ita sint assecuti. Declaratur & probatur  
conclusio. Primò quidem potuisse, pa-  
tet : quia cause libera non minus possunt  
operari, cum primò habent omnia ad  
agendum requisita, quàm causa natura-  
les seu necessaria. Atqui causa natura-  
lis agit cum primò : est, si eo instanti  
habet omnia ad agendum requisita : vt  
sol. quo primò instanti fuit illuminatus.  
Ergo causa libera potest operari primò  
instanti quo est, si eo instanti ha-  
bet omnia requisita ad liberè ope-  
randum. Potest autem habere, siue  
loquamur de requisitis ad liberè exer-  
cendos actus naturales, siue etiam

Magist.  
Bonavent.  
Bassol.  
Ricard.  
Argent.  
Aegid.  
Sarsin. ar-  
gumentis  
contrariæ  
sententiæ.

Gregor.  
lib. 32. mo-  
ral. cap. 18.

Concl.

42.

Ioan. Papæ

Potuerunt  
Angeli  
primam  
instanti crea-  
tionis ac-  
cipere per  
propriam  
cooperatio-  
nem.



ad supernaturales. Nam primo illo instanti potuit voluntas Angelorum habere quicquid ad talem cooperationem liberam necessarium fuit, siue ex parte Dei auxiliantis, siue ex parte sui ipsorum. Nimirum plenam cognitionem, & vim completam voluntatis ad vtrumlibet, per auxilium & concursus diuinum, oblatum ad actum supernaturalem eiciendum, vel permissionem oppositi. Quare cum hæc omnia esse possint tam primum est voluntas: potuit voluntas Angelorum primo instanti se liberè disponere ad gratiam sanctificantem. Indiferentia verò cause libera non in eo consistit, quod re ipsa careat omni actu: sed quod ex se & antedecenter nulli deijuncta sit necessitas, sed si quem ponit, ponat ex dominio & potestate ad vtrumlibet: ita in loco istius posset oppositum conere, aut ab illo abstinere.

44. *Probabile est, quod tam esse. Suar. Valent. D. 114.*  
 Adde secundò, quod plurimi è grauioribus Theologis sic factum esse re ipsa opinantur: Suarez libro quinto, capite octauo, Vasquez disputat. 228. capite primo. *Ventia* quæstione de prima tertia, de Angelis puncto primo, & ceteri communiter. Faret etiam Sanctus Thomas quæst. sexagesima secunda, articulo sexto, in fine corp. asserens, deum fuisse gratiam (quam art. 3. *at data* primo instanti) maiorem nobilioribus Angelis, quod hi se efficacius ad Deum conuerterint. Et quæst. nonagesima quinta, articulo primo, postquam in corpore docuit Adam fuisse creatum in gratia: addit in solutione tertij argumenti, nihil prohibere quod minus contenserit liberè, iuxta statum adulti (in quo creatus fuit) primè illi iustificationi in primo instanti. Atqui par est ratio de Angelis, qui vt ait Basilus in Psalm. 32. non in statu infantium creati sunt, sed in statu adultorum, ob plenam rationem & libertatem. Ergo æquè conuerterunt primo illo instanti iustificari ex vi propria dispositionis. Aliunde verò conueniens est, vt Deus in filios adoptat, aduolus iam & liberos, non pronoueat ad statum illos supernaturalem nisi vt liberos, id est, volentes & contentientes liberè: idque magis consentaneum est naturæ rationali & liberæ, atque amicitia inuendæ, quam mutuo partium consensu iniri conuenit. Quo etiam modo Deus se gerit cum hominibus adultis iam & liberis: vnde illud Thren. vlt. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Quæ lex respectu nobis certa & vniuersalis est, iuxta Trident. sess. 6. cap.

45. *Trident.*  
 Patendum tamen tercio loco est rem esse omnino in se ipsam, potuisseque Deum liberè agere cum Angelis, & compromis parentibus ante peccatum, quàm cum hominibus adultis peccato proprio, vel alieno, originali scilicet, infectis. Sed non absentijs illis, qui instant cum Molina quæst. sexagesima secunda, articulo tercio, longè probabilius hoc esse. Quia, inquit, si

cut Deo vocanti ad gloriam, aliqui Angelorum contenserunt, alij non ita probabilius est omnino futurum fuisse, vt si Deus eos vocasset ad gratiam, & eorum consensum ac cooperationem postulasset, alij contenserint, alij non, in tanta multitudine Angelorum, quæ totam in eo liberè conuenisse non est credibile. Nequam enim multa in vno consentiunt, sine vno principio infallibilium consensus. Ad quod Respondeo potuisse facillimè conuenire omnes Angelos, sicut numero plurimos, in acceptanda Dei amicitia & adoptione, id est, bono excellentissimo, si, vt patet, fuit illis proposita sine vno difficili negotio, sed cum suauitate & facilitate, nondem illis reuelato mysterio Incarnationis, quod postea propositum, fuit multo occasio ruina, quæ exciderint à gratia & gloria.

Porrò si Angeli fuerunt ita sanctificati ex dispositione libera: hæc dispositio non manauit physice ab habitu sanctitatis & charitatis. Si enim ab illo manasset, eum supposuisset vt naturæ præuium, & simpliciter præexistentem vniuersum causam necessarium in omni genere causantium. Atqui si fuit dispositio ad illum, debuit ipsa esse præuia in genere cause dispositionis, quæ ad materiem pertinet. Ergo non debuit ipsum præsupponere, vt verè præsupponeret, si ab illo manasset.

Vnde sequitur secundò, actum illum non fuisse meritorium de condigno. Meritum enim de condigno debet esse ad personam iustam; idcirco gratiam præsupponit velut principium meriti, vt docet S. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 2. & confirmat Trident. sess. 6. cap. 16. At iste actus non præsupposuit gratiam, sed fuit præuia dispositio ad illam, adeoque illi naturæ ordine præsuppositus.

47. *Debit esse supernaturalis, italis.*  
 Sequitur tercio, actum illum dispositionum, qui, vt esset proportionatus iustitiæ supernaturali, debuit esse supernaturalis, neque visibus solis naturæ potuit elici, productum fuisse ab Angelis non sine auxilio gratiæ præuenientis, per sanctas cogitationes seu inspirationes, & pias motiones præuias; atque etiam auxilio gratiæ cooperantis seu concomitantis, Deo scilicet ipso se voluntati adiungente, & loco habitus eam complemente in actu primo, ad exercendum actum liberum charitatis supernaturalis, qui est conueniens dispositio & sufficiens ad iustificationem: eiusdem quippe ordinis & dignitatis cum gratia. Actus verò naturales, cum sint ordinis inferioris & improprio nati, nequeunt esse dispositio, etiam moralis, ad statum gratiæ & gloriæ: non magis in Angelis quàm in hominibus; quippe naturæ suæ improprio nati, quibusuè communia sūt quæ de gratiæ necessitate & supernaturalitate dicuntur in Scriptura, vt sect. 2. ostendimus.

48. *Dico* secundò, esse quoque probabile, sed incertum, nobiliores Angelos plus gratiæ adeptos esse, seu primam gra-

MARTINUS  
 NEUS  
 D. VI

Probabile  
est nobis  
magis  
angelos  
pluribus  
gratia  
ac  
cepisse.

D. Thom.  
Magali

Vasq.

Dionys.

Basil.

Damasc.

49.  
Occurrunt  
obiectioni.

50.  
Sohitur  
altera ob-  
iectio.

tia habitualem maiorem pro maiore perfectione naturali cuiusque accepisset. Probabile id facit auctoritas D. Thomae q. 62. art. 6. eiusque interpretum ibidem, & Magistri in 2. d. 3. cap. 2. vbi de Angelis sic ait: *Qui natura magis subriles, & sapientia amplius perspicaces creati sunt, hi etiam maioribus gratia donis praediti sunt.* Eandemque esse communem sententiam testatur Vasq. disp. 228. cap. 2. num. 6. quae tamen forte moraliter, non mathematicè, de omnibus Angelis intelligenda est. Favent etiam sancti Patres Dionys. de caelest. hierarch. cap. 5. & sequentibus, vbi hierarchias Angelorum, & ordines in beatitudine secundum mensuram naturalium perfectionum distribuit. Quam doctrinam de hierarchiis Magistro, nempe Paulo apostolo, accepisse se testatur eodem cap. 6. & Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 16. ante medium, vbi dicit, Angelos iuxta proportionem eminentiae inter se ipsos sanctificationis mensuram à Spiritu sancto accepisse. Et Damascen. lib. 2. de fide cap. 3. vbi affirmat pro sua quemque dignitate & classe, gratia & luminis esse participes.

Neque obest quod supra diximus, Angelos esse ad gratiam sanctificantem per propriam dispositionem & cooperationem. Quia facile fieri potuit, ut Angelis nobiliores melius se disposerent ad gratiam habitualement, per maiorem gratiam praevientem sibi à Deo datam. Non quod Angelis perfectioribus naturaliter debeatur maior gratia, vi maioris perfectionis naturalis: sic enim gratia non esset gratia: sed quia Deo liberè placuit, in distributione gratiarum praevientium Angelis facta, servare proportionem naturalis perfectionis, & maiores dare perfectioribus, eoque ad ampliorem gratiam habitualement & gloriam vocare, ac perducere, si consentirent. Potuit, inquam, Deus Angelos perfectiores ad maiorem sanctitatem & gloriam praedestinare, ad eundemque finem maiora tunc & deinceps auxilia suppeditare. Sed ut Angeli boni, quod sunt perfectiores, melius & perfectius toto veluti corde cooperati sint: atque ita sine tunc dispositio, siue deinceps meritorie, maiorem gratiam habitualement, & consequenter maiorem gloriam obtinuerint. Quanquam non fuit ad id simpliciter necessarium plus auxilij suppeditari perfectioribus Angelis. Cum natura perfectior, etiam aequè adiuta, plus possit supernaturaliter, intensius saltem. Quanto ergo magis plus adiuta? Tunc etiam causa omni ex parte maior est: à qua proinde maior effectus, si adaequate vitetur sua vi.

Dices, esse incredibile in tanta multitudine Angelorum cōsensisse omnes ad gratiam, & quidem toto conatu iuxta mensuram suae perfectionis: maxime cum paulò post non

consenserint omnes ad perseverantiam, & ad gloriam. Respondeo, licet vel eo maxime argumento res appareat incerta, vt in secunda parte conclusionis diximus, & nihil magis quam auctoritate probabilis: tamen non esse incredibile, quòd initio omnes Angeli toto conatu consenserint ad tantum bonum adipiscendum, tunc sibi cum summa facilitate propositum: licet postea non pauci defecerint, praeposito mysterio Incarnationis, & naturae humanae super Angelicam exaltationem. Quo etiam tempore non est incredibile, stantes Angelos toto conatu restitisse sollicitantibus ad tam turpem defectionem, & decreuisse tantò magis adherere Deo, quantò alij turpius & indignis eius imperium detrectabant: ac denique perfectissime decrevissent perseverare, & tam brevi spatio temporis, incedendum sibi concessio, voluisse impendere omnes vires gratiae sibi oblatæ ad bonum incomparabile aeternae gloriae magis ac magis promerendum. Adde magis mirum videri debere, fuisse aliquos qui recentissime tot beneficiis à Deo affecti, tanquam notitia praediti, tum eius quod Deo debebant, tum aeternae beatitudinis ad quam non erat illis aedò difficile pervenire: defecerint tamen, & in tantam miseriam se praecipitare maluerint. Vnde illa exclamatio & admiratio Isaiae: *Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane orbebaris, &c. Isa. 14.*

Dico tertio, probabilius esse sanctos Angelos meruisse gloriam, quam quidem primo instanti, per actum quo se ad primam gratiam habitualement disposerunt: sed actibus qui deinceps ab illis vt gratis, seu iustificatis & sanctis processerunt. Declaratur & prolatum conclusio.

Primo, sanctos Angelos gloriam meruisse affirmant D. Thom. quaest. 62. articulo 4. eiusque interpretes ibidem, & omnes scholastici, teste Vasque disp. 228. num. 1. post S. Augustin. lib. de coecept. & grat. cap. 11. vbi dicit, Angelos bonos stetit alij cadentibus, & huiusmodi mansionis debitam mercedem recipere meruisse, tanquam scilicet beatitudinis plenitudinem, quae eis certissimum sit semper se in illis manifestos. Favet etiam ratio. Cum enim homines adulti consequantur beatitudinem per merita par est ratio vt Angeli. Tum quia ceteris paribus Angeli sunt aptiores ad merendum apud Deum, quam homines. Tum etiam quia si hominibus, natura imbecillioribus, non datur gloria sine merito: cur datur Angelis? Tum denum quia in beatitudine ipsa homines equiparantur Angelis. Ergo par est equipari in via & modo comparandi. Eoque refert D. Thom. quaest. 62. art. 4. §. Sed contra illud Apo. 2. 1. 17. *Mensura hominis, quae est Angeli: quia scilicet in adipiscenda beatitudine eadem mensura regulam mensurantur homines, & Angeli.*

Magis est  
Angeli  
meruisse  
gloriam,

D. Thom.  
Vasq.  
Angeli

D. Thom.

In homine autem mensura est meritum: ergo & in Angelis. Quæ expositio D. Thomæ licet non literalis, probabilis est. Ex eaque probabiliter inferri potest primo, easdem conditiones ad meritum in Angelo requiri & sufficere, quæ in homine sufficiunt ac necessariae sunt. Quare utriusque necessaria fuit promissio diuina, gratia sanctificans, & auxilium gratiæ ad actus liberos & honestos, ex Charitate, & in vi extendendos. Vnde secundo sequitur, Angelos sanctos nec iam mereri beatitudinem, nec meruisse, ex quo fuerunt in patria, siue in termino virtuosæ beatificæ; nec antea meruisse, vel obtinuisse propter opera præuisa futura in statu ipso beatitudinis: nimirum propter ministeria, ab Angelis Deo obtemperantibus pro mundi regimine & salute hominum exhibenda: ut perperam sensit Magister cum aliis præcis in 2. dist. 5. in fine.

Meritum illorum fuit simile nostro.

Magist.

52.

Sequitur tertio, sicut in adulto iustificato vi contritionis vel dispositionis, hæc contritio non meretur de condigno primam gratiam habituatam, nec gloriæ gradum illi correspondentem: quia pro illo prius subiectum non habet gratiam sanctificantem, quæ est principium meriti: sic in Angelis. Ut enim actus sit meritorius, debet procedere à persona sancta & Deo grata: sicut de hominibus affirmat Trident. sess. 6. cap. 16. Et de Angelis idem sententur Theologi. Nimirum quæ eorum actus supernaturales, sensu gratiæ adoptionis, non magis sunt condigni tanto præmio, quam actus supernaturales hominum. Atqui actus qui est vltima dispositio ad gratiam primam sanctificantem, habet gratiam tantum naturam posteriorem, quippe quam natura præcedit in genere causæ materialis seu dispositiue. Ergo non procedit à persona ut grata, quandoquidem gratia est natura posterior. Sicut tamen homines per alios actus, à gratia iam habita profectos, mereantur gloriam, & augmentam gratiæ & gloriæ, ex Trident. sess. 6. cap. 16. & cap. 22. sic Angelos pariter suum vltimum finem adipisci per meritum: idque illis, non minus quam hominibus, honorificentis exitit. Omnino quidem certum est, quod mali à hominibus malo suo merito se discernunt: & teste Apосто 1. Cor. 6. v. 3. & Iudæ 6. Angelos ac homines, iudicandi sunt. Iudicium autem erit de propriis cuiusque operibus ad salutem æternam pertinentibus, vel ad eius operatum.

Trident.

53.

Sequitur quarto, Angelos non meruisse gloriam primo instanti suæ creationis, per actum illum quo se ad primam gratiam habituatam disposuerunt. Quippe qui à gratia sanctificante non processit, nec neque alium eodem instanti habere poterunt, qui à gratia sanctificante procederet posito quod, ut supra diximus, Angelis toto visu in actum illum charitatis

Meritum illud non fuit primo instanti creationis.

dispositiui eruperint. Sequitur quinto, viam Angelorum non fuisse vnicum instans, ut aliqui imaginantur. Nominem viam, intelligo spatium temporis, quo quis potest antecedenter, liberè affectu, vel perdere beatitudinem, & rendere ad patriam, id est, ad vitam æternam: ita ut nondum sit antecedenter abiectus à Deo, & destitutus auxiliis sufficientibus ad illum finem: vel potest magis ac magis ab illo meritorie recedere, & damnationem mereri. Nominem autem instantis, intelligo indiuisibile temporis: non autem, ut Valq. disp. 229. cap. 11. & alij quidam, operationem Angelicam quantumcumque durantem, ita ut vel ipsa visio Dei æterna sit vnicum instans. Dico igitur, viam Angelorum non fuisse vnicum instans temporis, quia alioquin Angeli non potuissent mereri beatitudinem: siquidem primo instanti eam mereri nequiverunt, ut iam diximus. Adhuc, quod Angeli boni erant adhuc in via, quando mali peccauerunt: siquidem restiterunt liberè meritorie peccantibus, & ad peccandum sollicitantibus. At isti peccauerunt post primum instans creationis: siquidem primo instanti non peccauerunt, sed potius bene egerunt, & fuerunt in gratia, ut supra diximus. Ergo Angeli boni fuerunt in via etiam post illud primum instans, quo omnes simul creati fuerunt & sanctificati.

Via Angelorum non fuit vnicum instans.

Quantæ autem durationis præcisè fuerit via Angelorum, definire nequit. Probabilis est quod ait Suarez lib. 5. cap. 21. num. 14. & sequentibus, non modo contriuisse ex variis instantibus temporis: sed etiam ex variis operationibus sibi succedentibus. Tot enim actus & intellectus, & voluntatis exercuerunt, ut credibile non est tam multos simul exerceri potuisse. Parum etiam probabile est, Angelos qui defecerunt, primo tantum instanti indiuisibiliter bene operatos, immedie post defecisse & peccasse mortaliter. Neque enim tam repente contingere solet tanta mutatio. Cùmque alij peccarint sollicitatione Luciferi; vix potuit ille eodem instanti peccare, & alios omnes sollicitare ac persuadere, ita ut omnes eodem instanti in idem peccatum consenserint: præsertim in tanta differentia perfectionum, naturæ, scientiæ, gratiæ, quanta in Angelis consentientibus: ex qua credibile fit, non omnes æquali celeritate ipsos fuisse in bene vel male operando. Idemque dico de Angelis perseverantibus. Vnde sequitur viam bonorum & malorum Angelorum non fuisse tantum duorum instantium: neque tantam fuisse præcipationem & compressionem in Angelis bene vel male meritis, atque nonnulli fingunt. Eam tamen non fuisse longam patebit ex disput. sequenti.

Quantum durauerit, est incertum. Suarez.

MARTINUS  
NEUS  
LIB. I. DE PARTIBUS  
D. VI  
U.



SECTIO VII.

Quibusnam actibus Angeli boni ad gratiam se disposuerint, ut mererentur gloriam.

55. Angelorum dispositio fuit similis nostre.

Respondet de Angelis, ut de nobis, cum proportione philosophandum esse, ijs reiectis, quae Angelis propter differentiam proprii status convenire nequeunt. Exempli gratia, quia non peccarunt ante gratiam consecutionem, vel etiam gloriae quotquot eam consecuti sunt, ne quidem venialiter, ut est communis sententia, Patrum auctoritate mixta: ideo poenitendi actus non fuit illis necessarius, quibus ne quidem fuerint capaces: est enim dolor de proprio peccato actuali, iam antea commissio. Praeterea, cum sint incorporei, Deus ab illis non exigit obsequia corporea, sicut a nobis exigit. Attamen sicut a nobis postulat actus aliquos non modo intellectus & voluntatis, sed etiam potentiae exercitiae, ut adorationem, humilationem &c. ita probabilius est aliquid simile postulasse ab Angelis, & tribus illis facultatibus quibus possent, voluisse ab illis honorari. Intellectus autem & voluntatis praecipuae sunt partes, tam in beatitudine, quam in via, quae respondet beatitudini: & perfectio dispositionis ac tendentiae, perfectio status beatifici. Quare secundum voluntatem debuerunt tendere per spem, & charitatem supernaturalem, in luminum illud bonum quod possent in patria. Secundum intellectum vero debuerunt cognoscere, actu supernaturali fidei, obiectum in quod tenderent per spem & charitatem, iuxta illud Apostoli Hebr. 11. *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum.*

56. Angeli habuerunt actum fidei.

Primum igitur, secundum intellectum debuerunt cognoscere per fidem non modo Deum esse, sed esse iustificatorem, & glorificatorem, habereque providentiam supernaturalem ad remuneranda opera bona inquitentium se, iuxta illud Pauli c. cit. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Quae verba de Angelis aequae ac de hominibus intelligi debere affirmat S. Thom. 2. 2. quaest. 5. art. 1. § *sed contra*: & de utriusque omnino par est ratio. Loquitur autem Apostolus de remuneratione supernaturali, & de fide quae possit esse substantia, seu basis & materia rerum sperandarum, atque illius tantis proportionata. Cuiusmodi tantum est fides supernaturalis, qualem a nobis exigi, vna cum spe & charitate, affirmat Trident: sess. 6. cap. 6. & can. 3. Et quamvis Angeli naturaliter noverint Deum esse, & quidem evidenter: non tamen esse iustificatorem & remuneratorem supernaturaliter. Cum enim id pendear omnino a libera, & per se occulta, voluntate divina: debuit revelari, ut certo Angelis innotesceret. Et necesse fuit

D. Thom.

Trident.

revelari, ut possent Angeli potere & certo sperare salutem supernaturalem; & illamque velut ad finem ultimum, se usque omnes operationes dirigere. Potuit autem haec revelatio obscure fieri Angelis per signa certa quidem, sed inevidentia. Et ut sic fieret, conveniens fuit. Tum ut captivarent Angeli intellectum in obsequium Dei. Tum etiam quia visio peculiaris ratione fidei responderet, tanquam praemium illi speciei fidei proportionatum. Tum praeterea, quia fides est dispositio magis accommodata, per quam paulatim ad scientiam beatificam pervenitur: oportet enim addiscenam credere: post Philosophum ait D. Thom. 2. 2. D. Thom: quaest. 2. art. 3. in corp.

Addo secundum cum Suarez lib. 5. cap. 6. num. 2. & sequentes, debuisse Angelos non modo Deum cognoscere ut auctorem gratiae, & finem ultimum obiectumque beatitudinis supernaturalis: verum etiam cognovisse explicitè mysterium Trinitatis, iuxta illud Thalesij tom. 5. Bibliotheca Patrum hecatontade 1. sententia 99. *Sapientia Angelorum, quam hominum sanctificatio, & Divinitas, est sanctae consubstantialis Trinitatis cognitio.* Idem etiam docent communiter Theologi, praesertim Thomistae 2. 2. quaest. 2. art. 7. & 8. & quaest. 5. art. 1. Ratio esse potest, quia cognitio viae Angelorum debuit respondere cognitioni patrie sicut in hominibus, sicutem perfectionibus, communiter responderet. At in patria beatitudo Angelorum consistit in cognoscendo Trinitatis mysterio: ergo &c.

Addo tertio cum eodem Suarez ibidem num. 9. & D. Thom. quaestione 64. articulo 4. Rupertio lib. 2. in Ioan. sub fin. Bernard. serm. 22. in Cant. Lyrano, Cathusiano, Ruano, Siguerio, Catharino, Malonio, & alijs a Suarez citatis, mysterium quoque incarnationis revelatum illis fuisse. Primum, quia fuit revelatum Adamo in statu innocentiae, ut docet S. Thom. 2. 2. quaest. 2. art. 7. & 3. p. quaest. 1. art. 3. ad 5. Praeterea autem fuit ratio ut Angelis revelaretur. Neque est credibile minus perfectam & expressam fuisse fidem Angelorum viatorum circa divina mysteria, quam hominum in statu innocentiae. Secundum, quia iobabijus est Angelos quoque obtinuisse gratiam & gloriam per merita Christi, decreta ante peccatum, ut suppono extractatu de Incarnat. Decreti, inquam, in caput & Regem Angelorum & hominum, non tantum quoad accidentalem influxum revelationum, aut gaudiorum accidentalium, sed etiam quoad influxum gratiae sanctificantis & gloriae. Par ergo fuit ut cognoscerent suum mediatorem, iustificatorem, & glorificatorem, quem diligerent & honorarent, in eumque sperarent & confiderent. Denique talis revelatio & cognitio valde convenientis fuit non tantum perfectioni Angelorum, sed & honori & maiestati Christi, de quo etiam v. homine verum sit illud Pauli Hebr. 1. v. 6. *Et cum*

57.

Cum de re mystica Trinitatis & Incarnat. Suarez Theol.

58. Suarez, Rupert, Bernat.

D. Thom.



iterum intravit primogenitum in orbem terrarum, dii: *Ex adorent cum omnes Angeli Dei.* Debit enim tale præceptum datum fuisse primogenito Angelis, etiam viatoribus. Sic certissimum est mysterium Incarnationis cognoscit Beatis Angelis ut unum præcipuis. Quare si cognitio viæ Angelorum responde- re debuit cognitioni patriæ; debuit etiam mysterium ab illis in via cognosci. Non tamen puto fuisse reuelatum Angelis mysterium Incarnationis primo instanti quo se ad gratiam disposuerunt. Alioqui iam tunc aliqui huius mysterij occasione peccassent. Ut posse peccare, inuidantes naturam humanam tantam dignitatem præ sua, & credentes ei submittere.

59. Neque obijcias, non omnes homines cognovisse esse in via mysteria Trinitatis & Incarnationis; sed præcipuis tantum in lege Mosis & Moyse. Respondeo enim, quod si singulis hominibus olim non exigetur fides expressa mysteriorum prædictorum scilicet fuisse status illius imperfectio- nem, quæ Angelis non est tribuenda; sed potius comparandi sunt cum hominibus in statu innocentia, quam in statu corruptionis & imperfectio- nis ex peccato secuta.

In Ista- bis, quæ Paulus ad Ephes. 3. & 1. Timoth. 2. v. 26. significat mysterium Incarnationis fuisse absconditum à sæculis in Deo, & per Ecclesiam Evangelicam inno- tuisse Principibus & Potestatibus in cæle- stibus. Unde illæ Angelorum interroga- tiones, *Quis est iste Rex gloria?* Psal. 23. v. 8. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus in hostia?* Isa. 63. v. 1.

60. Respondeo, ex eodem Apосто- lo ad Hebr. 1. v. 6. constare, Angelos ante omnem Pauli & Ecclesie prædicationem agnovisse mys- terium Incarnationis ipsius in initio, & Christum Dominum adorasse in ipso eius conceptionis vel natiuitatis puncto. Alia ergo eius loca intelligenda sunt de cogniti- one Incarnationis non simpliciter, sed secun- dum quid. Nimirum, vel secundum notitiam intuitivam, cuiusdem iacti executione tradita; vel secundum fructum in omnes gentes prædicatione in Ecclesia patefactum Ange- lis; ex æmentaliter saltem; vel secun- dum abrogationem legalium, & alias cir- cumstantiarum, re ipsa exhibitas. Illæ verò interrogatio- nes vel Prophetarum sunt; vel potius Angelorum non ignorantium, sed æmentium. Neque verum est quod à nonnullis affirmatur, aliquos quidem ante agnovisse, sed alios ignorasse, ut istos in- terrogantes in Ascensione Christi. Cum Paulus ad Hebr. 1. v. 6. affirmet, omnes Angelos Christum Deum primogenitum adorasse, cum in orbem terrarum introduceretur. Adde ex D. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 5. ad 2. quic- quid Prophetæ cognoverunt de mysterijs gratia, pertinet ad rationem divinam, multo excellentius fuisse Angelis reuelatum. At- que Prophetæ cognoverunt mysterium In- carnationis multo antequam fieret: ergo &

Angeli. Quare loca Pauli citata non sunt edignore accipi, ut excludant omnem notitiam ante habitam. Augustin. quidem August. lib. 7. de civitate. cap. 32. arguitur ex ordine generis humani Incarnationis mysterium fuisse Angelorum ministerio prænu- tium & præfiguratum Dionys. quoque cap. 4. cælestis hierarchiæ generatim ait, Angelos il- luminasse & instruxisse Prophetas de divinis mysterijs quæ per eos reuelabatur. Ergo & Dionysio Incarnationis toties reuelato ab ipso mundi exordio. Falsum ergo est In- carnationis mysterium fuisse Angelis incog- nitum ante Pauli & Ecclesie Evangelicæ prædicationem.

## SECTIO VIII.

De gloria & beatitudine sanctorum Angelorum.

Conclusio prima: Angeli sancti non du- post creationem suam consequuntur visionem beatificam, & reliquam beatitudi- nem essentialem, non expectata Christi glo- rificatione, vel Incarnatione Verbi. Sic omnes Theologi, teste Suareo lib. 6. cap. 2. num. 2. Licet enim differant in assignandis pluribus vel paucioribus instantibus viæ angelicæ: sentiunt tamen omnes breuem fuisse: eaque expletâ, bonos statim accepisse beatitudinis essentialis præmium; malos, tunc damnationis supplicium. Idem etiam docent sancti Patres communiter: præsertim D. Augustin. lib. 11. de civitate. cap. 13. & 33. & libro 12. capite 9. & lib. 1. de Genesi ad lit. cap. 17. & sequentibus. Christus quoque Matth. 18. affirmat, Ange- los ostendentes hominum semper videre faciem Patris sui qui in cælis est. Quod Christus non ut novum beneficium legis gratia commemorat, sed ut antiquum supponere vide- tur. Si autem illi qui ex infimis communi- ter esse censentur, hoc habent, quanto magis alij? Maxime cum visio beatifica non sit illis data dumtaxat propter custodiam hominum: sed primò & præcipue propter gratiam, & bona opera vel merita præcedentia, quæ in Angelis superioribus maiora extite- runt. Item Daniel. 7. & Tob. 12. loquitur ante Incarnationem Verbi dicuntur Angeli ad- stare & assistere ante Deum. Quod idem esse eò loci ac perpetuò videre Deum, & ab eius visione nunquam recedere, docent Gregor. lib. 2. moral. cap. 2. & lib. 17. cap. 9. Bernard. serm. 5. in Dedicat. Ecclesie, alij- que Patres. Favet etiam ratio. Quia si Angeli mali, ab initio mundi, iam tum cum serpens Evam tentavit, erant de cælo deie- cti & damnati, quædo invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum. Ergo tunc etiam Angeli sancti erant beati. Neque enim illis plus dilata fuit gloria, quam malis pe- na: cum nihil esset cur differretur: & alioqui

De bonitas ad miserendum prior sit & beneficentium, quam ad puniendum.

62. Obijcies primò illud 1. Petr. 1. v. 12. In quibus desiderant Angeli prospicere. Desiderium autem est rei absentis, & nondum obtentæ. Secundò Gregorius Nazianzus, orat. 42. affirmare, diem resurrectionis Christi salutem mundo fuisse, tam visibili quam invisibili. Vbi Nicetas per mundum invisibilem Angelos sanctos intelligit. Salus autem illa, respectu Angelorum non potest alia intelligi, quam salus perfecta & consummata per visionem Dei & fruitionem beatificam. Tertiò, cum Christus fuerit caput angelorum, æquè ac hominum, cuius meritis gloriam acceperunt, non decuisse ut membra, prius quam caput, glorificarentur, & ante illam incarnationem merito am ipsius. Ac si eam ob usam ante Christi mortem non erat initiata sanctis hominibus via in cælum, quæ post in sanguine Christi initiata est, ut ait Paulus ad Hebr. 10. v. 20. Par est ratio de Angelis.

63. Respondet, primum illud Petri intelligendum esse de desiderio excludende fastidium, non autem visionem ipsam, seu de desiderio continuationis perpetuæ illius visionis, ut explicat Gregor. lib. 18. Moral. cap. 28. Isidor. lib. 1. de summo bono cap. 12. & D. Thom. quest. 58. art. 1. ad 2. iuxta illud Ecclesiastici 24. Qui edocuit me adhuc existens, & erudibunt me adhuc sitient. Adde quòd alioqui locus ille probaret Angelos ne quidem post incarnationem, & Christi glorificationem, videre Deum. Nazianzus autem vel per mundum invisibilem intelligit animas sanctorum Patrum quæ in sinu Abraham decinebantur: vel quòd angeli tunc gloriam magnam accidentalem receperint: quòd etiam pertinet quòd notat Becan. tom. 1. controuer. opus. 9. cap. 20. Angelos ex eo tempore apparuisse in corporibus lucidis & gloriosis, non ante. Vel demum quia tunc ruina angelorum resciri ceperunt, licet angeli ipsi non tunc primum gloriam receperint: ut explicat idem Nicetas qui supra. Et quamvis angeli gloriam per Christum receperint: non propterea debuerunt, ut homines, tamdiu à regno excludi: quia nullum peccatum commiserant, pro quo nondum plene satisfactum fuisset, ut hominibus contigit. Cumque Deus sanctis Angelis vi decrevisset in mysterijs revelandis, & in salute hominum ab initio procuranda: conveniens fuit ut biberent in Deo, quòd hominibus propinarent, inquit Sanct. Gregor. lib. 2. moral. cap. 3. Adde, gratiam dari hominibus & Angelis propter merita Christi, æquè ac gloriam. Et tamen non differebatur olim Sanctis Patriarchis usque ad Christi mortem, aut donec ipse primus gratia impleteretur. Neque id fuit contra honorem Christi, ut capitis: quin potius ad eius dignitatem plurimum facit, ut ipse merita, vel præuisa, gloriam Angelis, & ipsidem atque hominibus gratiam tunc an-

te contulerint.

64. Secunda conclusio: Quamvis præcisè definiti nequeat, quanta sit gloria & beatitudo Angelorum: communiter tamen maior sic videtur, quam hominum. Ratio, primæ partis est, quia præcisè id non est revelatum, & sine revelatione non est unde sciatur. Nisi enim dici potest tantam adeptos esse, quantum capaces sunt: alioquin omnes Christum superarent. Quippe cuius capacitas obedientialis minor est, quam Angelica: cum capacitas obedientialis cuiusque rei fudetur in natura ipsius, eique sit proportionata, seu potius sit natura ipsa prout subesse potest Deo operanti supernaturaliter. At Christus multò plus habet gratiæ & gloriæ, quam nullus Angelorum, ut mox dicam: Ergo &c.

65. Secunda pars probatur, quia tanta est excellentia sanctorum Angelorum, non in natura, quæ sunt pares demonibus, sed in gratia & gloria: ut Christum ad eximiam commendationem Paulus cum Angelis comparaverit, eiusque excellentiam ex hoc commendaverit, quòd angelis præcellat, Hebr. 1. v. 4. & Virgini Deiparæ singulariter laudi tribuatur ab Ecclesia, quòd exaltata fuerit super omnes choros angelorum. Unde probabilis sit, vel nullos alios, vel paucissimos superare omnes Angelos gloria. Adde probabiliter paucos etiam ad æqualitatem cum iumentis pervenire: atque ita communiter homines ferè omnes esse infra gloriam aliorum Angelorum. Probabile item est, comparando omnes cum omnibus, plures homines superari ab Angelis, quam Angelos ab hominibus: Atque ita gloriam angelorum regulatiter maiorem esse. Nec obest, quòd brevior fuerit Angelorum via. Neque enim ad id brevis fuit, ac plerique male imaginantur. Et perfectio vocationis & cooperationis, ac multitudo ingeniorum meritorum, quæ Angelis hominibus perfectiores, & promptiores, brevi tempore excuerunt, maiorem gratiam conferunt, qui potius quam homines soleant tempore diuturno.

66. Tertia conclusio: Angeli in accepta beatitudine essentiali crescere, aut decrescere nequeunt, neque mereri aut demereri. Ratio conclusionis est, quòd iam Angelis, sicut & hominibus, ipso initio glorificationis, conferretur beatitudo essentialis, quanta debetur vi dispositionum, aut meritorum, vel conditionum præcedentium in via, post quam non est amplius merendi locus, aut demerendi. Quamvis enim beati sive Angeli, sive homines, sint in æterni in æternum infinita opera Deo gratia, & libera, & per se proportionata retribuendi æternæ gloriæ: sicut Christus, non obstante visione beatifica, multa exercebat hæc in vita, per quæ re ipsa merebatur: quæ tamen Deo scientissime ponere terminum via merendi, & consequendi vel augendi beatitudinem. Neque conveniens fuit, aut certum possibile creaturas finitas, quales homines

62. Nicet.

Satis obiectio.

Gregor. Isidor. D. Thom.

Becan.

64. Gloria & beatitudo Angelorum communiter melior est, quam hominum.

65. Angeli in beatitudine essentiali crescunt, aut decrescunt.

& Angeli crescere in infinitum in beatitudine: ut dicitur, si per omnia bona opera libera, que in aeternum exercebunt, merentur. Imper nouum ac nouum augmentum gloriae. Tale uero terminum hominibus esse a Deo positum (& de Angelis par est ratio, testatur Paulus ad Galat. 6. cum ait: *Unum tempus habemus, operemur bonum.* Etenim non solum tempus, sed aeternitatem totam habemus, si nullus esset terminus temporis ad merendum prefixus. Et 1. Cor. 8. *Tempus, inquit, haec est.* Et Ioan. 9. v. 4. *Ueni nox (id est mors) quando nemo potest operari,* scilicet cum uilitate meriti. Et quidem ratio peculiaris est, ut referantur Angeli & homines, potius per opera que exercent in certamine & periculo uiae, quam per ea que sunt a iustitia & periculo in beati exercere.

66. Multo minus possunt demereri, & de peccatis carere.

66. Maior autem est ratio, ut Angeli & homines accepta iam beatitudine demereri non possint, idcirco decretere. Quia beatitudo excludit omne peccatum & demeritum. Tum quia Deus non potest clare uideri, ut videtur a Beatis, & non amari efficaciter, & absolute super omnia: tum etiam quia timor & pudor consequentes peccatum, turbarent statum gaudij qui describitur in beatitudine Ioan. 15. & Apoc. 21. *Et nihil inquinatum introibit in regnum caelorum, uel uisum habet uel multo minus coquinari poterunt, qui sunt in regno illo.* Adde, quod Angeli beati perfecte obsequuntur voluntati diuinae, unde a Sancto Matth. 6. v. 20. proponuntur uelut exemplar obedientiae perfectae, quam Deus a nobis exigit: cum iubet nos orare, ut fiat eius uoluntas ab hominibus in terra, sicut in caelo ab angelis fit. Quod autem dicitur Job 4. v. 18. *Et eorum seruant ei non sunt stabiles, et in Angelis suis prauitatem,* unde Caluin. serm. 16. & 17. in Job, occasionem sumpsit blasphemiae suae contra beatos Angelos, quorum obedientiam ait tam esse defectuosam, ut mereantur a Deo, si ipsos iudicaret, damnari: intelligendum est de male Angelis qui Deo seruiunt uoluntario aut sponte, & uere stabiles non sunt, iuxta illud Ioan. 8. v. 24. *Illi homicida est ab initio et in aeternum non fuit.*

67. Crescunt in accidentalibus beatitudinis.

67. Dixi, Angelos beatos non crescere in essentiali beatitudine, quia non est nouandum accedere Angelis cognitiones & gaudia accidentalibus beatitudini, de peccatorum conuersione, & bonis iustorum operibus, de quibus sanctorum salute, & alijs similibus obiectis. Sicut huiusmodi cognitiones habeantur. Verbo, ut in speculo uoluntario: siue per reuelationem, aut experientiam. In quo autem consistat beatitudo essentialis Angelorum, facere colligetur ex dicendis sequenti tractatu de beatitudine hominum. Tantum adhaec possit Suar. lib. 6. cap. 7. num. 6. Licet in Angelis beatis sint ipsa quae uocantur bonis gloriae sanctarum animarum, nempe uisio, fructus, & compre-

hensio, ut D. Thom. numerat 1. 2. quae arr. 3. uel ut alijasant, scilicet, ad. 1. & delectatio, uel securitas, uel quaedam simile, siue in habitu siue in actu nihilominus respectu Angelorum non uocantur dotes: quia dotes dicitur habitudinem ad matrimonium, seu dispositionem. Uos enim apud Iuristconsultos significat illa bona, quae sponsae dantur ad sustinenda matrimonij onera. Angeli autem licet uicunque sint sponsae Dei per gratiam & gloriam: non tamen ita proprie, ut animae hominum beatorum sunt sponsae Christi. Sponsa enim proprie debet esse inferior, & euidenter naturae composito. At Angeli non ita se habent respectu Christi. Secus autem anima beatorum quibus idcirco metaphora dotes specialiter accommodata fuit.

D. Thom. dotes non dicuntur respectu Angelorum

SECTIO IX.

De Hierarchijs, & officijs sanctorum Angelorum.

Hierarchia sacrum principatum sonat, seu collectionem personarum aliquo modo sacrarum, sub aliquo Principe. Unde colligitur, sicut inter personas diuinas & daemones, & creaturas irrationalis, non est talis principatus: ita neque hierarchiam esse posse.

68. Hierarchia quid sit

Diuiduntur Angeli in tres hierarchias, nempe in choiros, tres in qualibet hierarchia. In prima & suprema numerantur Seraphim, Cherubim, Throni. In secunda seu media, Dominationes, Virtutes, Potestates. In tertia & infima, Principatus, Archangeli, & Angeli. Quae omnia nomina in Scripturis reperuntur. Paulus enim ad Rom. 8. v. 38. commemorat Angelos, Principatus, & Virtutes. Et alijs tres addit Coloss. 1. v. 16. Thronos scilicet, Dominationes, & Potestates. Archangelorum uero mentio fit 1. Thesal. 4. v. 15. & epistola Iudae v. 9. Cherubimorum Gen. 3. v. 24. & Hebr. 9. v. 5. Ac denique Seraphinorum Isa. 6. v. 2. Quibus uerbis significari nouem ordines intelligentiarum, dignitatis & graduum equalium, docent communiter sancti Patres, quorum auctoritas temeritati Nouatorum anteponenda est. Praecipue uero Dionys. cap. 5. 6. & 7. de caelesti. Hierar. Basil. in Liturgia, Damascen. lib. 2. de fide cap. 3. Clemens Roman. lib. 8. Constit. cap. 16. in fine, & Gregor. hom. 34. in Euangel. & lib. 32. moral. cap. 10. alias 25. Quamquam non omnes, neque iidem tempore, eodem ordine numerant: ut in Dionysio & in alijs notat Suar. lib. 1. cap. 13. ubi hac de re plura.

Hierarchia ad 9. gradus, tres & choiri nouem.

Dionys. Basil. Dionys. Clemens Gregor.

Suar.

Et licet nomina illa de se significant officia omnibus Angelis communia: omnes enim charitate ardent, quod significat Seraphim: & scientia pleni sunt, quod significat Cherubim: & sic de alijs: Unde etiam

69. Nomina Angelorum quid significant

MARTINI  
NEUS  
LIB. J. in part  
D. N. T.  
U.

inter se accipiuntur ut communia omnibus, & nonnunquam confunduntur, ita ut nomen proprium vnius ordinis, tribuatur Angelo alterius ordinis: sicut Angelorum nomen proprium infimi ordinis, tribuitur sepe omnibus: propria tamen & magis stricta acceptio significat ordines aliquo modo distinctos, ut affirmant Patres citati, & confirmat Apostolus, eos inter se velut distinctos opponens, ut membra bonae diuisionis, videnturque particulam distinctiuam, Coloss. i. v.

25. *Sine Throni, sine Dominationes, sine Principatus, sine Potestates:* & Ephes. i. v.

21. *Supra omnem Principatum & Virtutem, & Dominationem &c.* propter quae Apostoli

Auguſt. *Verba D. Augustini, contra Priscilianist. cap. 11.* ait, se firmiter credere esse in caelestibus apparatus, sedes (id est Thronos) Dominationes, Principatus & Potestates, & differre inter se aliquid. Licet addat se nescire, quoniam ista sunt, quae quid inter se differant. Nimirum quia diuisiones illae Angelorum cum suis subdiuisionibus, differentiis & officiis, non sunt nobis plane perspectae. Quae etiam spectat, quod notauit Chrysostomus. 3. in epist. ad Ephes. & collegit ex his verbis Apostoli Ephes. i. v.

Chr/ost. 21. *Supra omnem Principatum & Potestatem & Virtutem, & Dominationem &c.* omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro: Intelligentiarum quarundam caelestium nomina nobis esse incognita hac in vita, & post eam tantum agnoscenda. Quae nihilominus in tribus illis Hierarchiis & nouem ordinibus comprehendi possunt. Quippe quia singuli ordines possunt, velut generici, in alios multos specificos subdiuidi.

70. Hanc autem diuisionem seu differentiam ordinum esse, non tantum penes ministeria siue officia, vel gratiae dona, sed etiam penes essentiam & naturales proprietates, affirmant verisimiliter Patres citati num. 68. Quamquam nomina illa multo expressius differentiam quandam in officio & donis gratiae significant. Angeli enim idem sunt ac nuncij, Archangeli, idem ac praecipui nuncij, qui ad maiora nuncianda mittantur. Principatus, Principes qui omnibus Angelis & Archangelis praesent in ijs quae pertinent ad salutem omnium hominum priuatorum, aut Principum singularium, aut Communitatum, Regnorum, ac Prouinciarum. Quo forte sensu Daniel. 7. Angelorum vnus vocatur Princeps Perlarum. Potestates vero, quae in secunda hierarchia infimum locum tenent sic vocantur, vel quia ad eos Angelos spectat praecipere & ordinare quae à tertia hierarchia agenda sunt, ut ait Dionys. supra: vel ut Gregor. mag. quia eorum ditioni Virtutes aduersus subiecta sunt, & eorum potestate maxime refrenantur. Virtutes vero virilem quandam fortitudinem significant, quae in omnibus diuinis suis actionibus, ad imitationem Dei potenter allurgunt, ut ait Dionys. cap. 8, libri supra cit. Vel ut

Gregor. asserit, ita vocantur, quod per huiusmodi Angelos signa & miracula frequenter fiunt, id est prodigia, & quaecumque supra causarum communem cursum sunt, ut sepe multa fieri expediat ad hominum salutem, & gubernationem vel conseruationem. Dominationes autem, ex Dionys. ibidem, sunt intelligentiae quaedam celsiores, ab omni inferiori submissione liberae: & omni seruilium & diminutioni ab odio opere superiores, id est, ut bene exponit Suar. lib. 1. cap. 14. suat quae non sunt destitute ad externa ministeria, ad mundi gubernationem, vel salutem hominum pertinentia, per se ipsas exequenda sed spiritali & excelso modo praesunt omnibus inferioribus diuinae prouidentiae & gratiae ministris inuisibilibus, eisque dominantur: & in illo genere subiectionis nemini subsunt: quam subiectionem Dionys. inferiorem submissionem appellat: licet aliter modo non solum Deo, sed & Angelis superioribus primae hierarchiae subiciantur. Throni vero dicuntur, quod in illis, velut in sedibus excelsis atque magnificis, & maiestati suae conuenientibus, Deus insidet, & gloriose quiescat. Cherubim, quod scientiae diuinae perfectione emineant. Seraphim, quod amore in Deum perfectissimo ardeant. Quae nomina abstrahunt à seruilium subiectione circa mundum & homines: quia haec tota prima hierarchia asserentium est, non ministrantium Angelorum. Quomodo autem in his nominibus seruetur proportio dignitatis, & nomen Throni aliquid minus de se significet, quam nomen Cherubim, à scientia: & hoc, quam nomen Seraphim, à charitate dictum, vide apud Suar. lib. 1. cap. 14. an. 18.

71. Possunt aliter concipi distincta hierarchiae secundum ordinem & materiam reuelationum. Licet enim omnes beati Angeli immediate & constantem Deum videant: multa tamen accipiunt per reuelationem quae nec vident, nec sciunt per visionem beatificam. Et haec omnibus immediate reuelantur: sed communiter & ordinare Deum immediate reuelat prima hierarchia: & haec ad secundam, secunda vero ad tertiam reuelationes transmittit. Rursus maiores reuelationes immediate reuelat Angelis superioribus primae hierarchiae, maiores minoribus, & medijs. Quibus tribus ordinibus primae hierarchiae, respondent alij tres in secunda: quorum primus respondet primo supremae hierarchiae, secundus secundo, tertius tertio. In tertia similiter possunt distingui tres choe, quorum primus respondeat primo secundae hierarchiae, secundus secundo, tertius tertio. Nam tertia hierarchia tota subest immediatè secundae: secunda primae & supremae.

Dicitur, communiter & ordinare: quia Deus potest, cuiusque voluerit, immediate reuelare: sed ordo praedictus communior est. Sic Moyses ab Angelo, Vice Dei, accipiebat quae coramittebat inferioribus, &

70. Distinctio Hierarchiarum qualis sit.

71. Subordinetur quoad reuelationes diuinas.

hi infimis. Et Apostoli à Christo immediate acceperunt notitiam, quam alijs communicaverunt. Et in regnis quidam assistunt Principi, in cuius temper aula versantur, & ab illo accipiunt immediate quae alijs communicant: & hi inferioribus, usque ad infimos ministros & executores regia voluntatis. Et rursus inter eos ipsos qui semper Regi assistunt, eisque proximi sunt & familiares & immediati, quidam sunt summi, quaedam medij, quidam infimi: & inter alios similiter.

73. Hierarchia angelorum ante beatitudinem Angelorum.

Quamvis autem praedictae hierarchiae communiter explicentur de sanctis Angelis in statu beatitudinis: nihilominus tamen non solum in beatitudine sunt hierarchiae, & varia regimina spirituum, sed etiam in via ante beatitudinem fuit talis illorum dispositio, ut quidam essent Deo propinqui, alij medij, alij infimi, ultra naturalem differentiam naturae, & gratiae, in qua talis dispositio fundata est. Idcirco Demones vocantur interdum in Scriptura nominibus ordinum ad quos in via pertinebant: ut Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates &c.* Nuncquam tamen appellatur nominibus illis quae significant perfectiones incompatibiles cum malitia & peccato mortali: qualia sunt nomina Seraphim & Throni, ut notat Sanct. Thom. quaest. 109. art. 1. ad 3.

Nomina hierarchiae angelorum in diebus post diem iudicii.

Adde, huiusmodi subordinationem inter sanctos Angelos fore perpetuam, adeoque duraturam post diem extremi iudicii. Neque enim ratio cur cesset recta illa spirituum colluctatio subordinationis, & regni caelestis constitutio. Neque contrarium significatur ab Apostolo verbis illis 1. Cor. 15. v. 24. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri: cum euertuerit omnes principatus, & Potestates, & Virtutes.* Sensus enim horum verborum est: cum aboleverit omnem demonum potestatem, ut amplius Ecclesiam, quae est regnum Dei, impugrare non possint. Ut recte exponit Cornel. à Lapide, explicans versum illum persequentem immediate post, *Et non erit ei inimicus superius eius.*

Hierarchia Angelorum in diebus post diem iudicii.

Inter deos autem sancti Angeli in assistentia & ministrantibus. Quae divisio legitur in Dan. 3. *Milia millium ministrant ei, & Species centena milia assistebant ei.* Ex quo etiam loca colligunt Doctores communiter plures esse assistentes, quam ministrantes: eoque assistentes maiori numero designet. Neque obest illud Hieron. 1. *Omnes sunt administratores spirituum, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Potest enim intelligi quod omnes ministrant & ministrantibus, non communiter & ordinariè: sed aliqui modo, & aliis deorsum à maiori parte assistentes herantantur: alij communiter & ordinariè, qui ex de causa ministrantes dicuntur. Unde etiam insipiat distinctio ministrantium, non est notum. Probabile est

Angeli distincti in assistentes, & ministrantes.

iuxta ea, quae supra diximus, insipere à secunda hierarchia: ita ut à prima assistentiorum sit, numerosior tam in quibus secundae, & tertiae, etiam simul sumptae: reliquae duae sint ministrantium, id est, eorum qui exterio mundi regionem, & hominum salutem dant operam: sive dumtaxat operando & praecipiendo alijs Angelis, ut Dominationes: sive manuum veluti admovento ad opus, & exequendo exterius, ut alij qui in inferioribus ordinibus, Quorum nomina iuxta praecedentem expositionem id sonant.

SECTIO X.

De Custodia sanctorum Angelorum.

Inter sanctorum Angelorum ministeria, de quibus videtur potest Sanct. Thom. à quaest. 110. ad 114. Vbi de illis fuit & perspicue disputat, praeipue dignum est consideratione illud quo deputantur singulariter ad custodiam hominum, ut colligi potest ex Scriptura Matth. 18. *Videte ne contemnatissimum eorum unum e peccatis istis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* Et Act. 12. Ecclesia eundem esse suum sensum professam est, de Petro ex carcere mirabiliter educto dicens: *Angelus eius est.* Iudith quoque cap. 13. v. 20. meminit sui Angeli: & Iacob quoque sui, Genes. 48. ver. 16. ex quibus locis & similibus colligant sancti Patres, primo, singulis hominibus deputari singulos Angelos, quos ex officio custodiant: maxime propter illud, *Angeli eorum &c.* Nam alioqui non essent potius eorum, quam aliorum: neque diceretur singulariter, *Angelus eius est.* Secundo, non tantum iustus aut praedestinati, aut baptizati seu Christiani in lege Evangelica deputari Angelos: sed omnibus & singulis, Christus enim ait indiscriminatum, *Angeli eorum &c.* Neque apparet omnes, de quibus ibi sermo est, fuisse praedestinos, aut etiam iam baptizatos. Et hoc non esse nouum legis gratiae beneficium constat ex locis, & gratia Iudith. 13. & Genes. 48. Nam Iudith vixit tempore legis Moisaicae: Iacob autem, sub lege naturae. Adde quod homines eoque tempore, & status, non minus egerat opera & auxilio Angelorum, à quibus iuuantur ad consequendam salutem, quam Deus omnibus fieri expetit, ut docet Paulus 1. Timoth. 2. v. 4. Denique Queti Patres generatim id asserunt, & citata Scripturae loca sine litatione intelligunt. Speciatim vero Hieronym. qui ex Christi verbis Matth. 18. sic colligit: *Magna dignitas attribuitur, ut unaqueque ab ortu naturae habeat in sui custodia iam Angelum delegatum.* Similique modo loquuntur Clemens Alexandr. Chrysol. Gregor. Nyssen. & alij plurimi à Suare relati lib. 6. cap. 17. num. 7.

Angeli distincti deputantur ad custodiam.

Non est id nouum legis gratiae beneficium.

Hieron.

Suar.

& o. vbi addit, hanc veritatem sine ingenti remissione, ac ferè errore negari non posse: Quamvis fide diuina non sit omnino certum, singulos homines habere singulos Angelos in custodes: sed tantum generatim quod Angeli homines custodiant, vt habetur disertè pluribus Scripturæ locis.

Licet autem quisque peculiarem Angelum custodem ex officio habeat & speciali commissione: id non impedit, quin iusserit à pluribus ex charitate, aut ex generali mandato: iuxta illud Psal. 90. *Age ut suis Deus mandauit de te, vt custodiasti te in omnibus viis tuis.* Qua consideratione occurrit obiectioni Caluini I. Initit. cap. 14. num. 17.

Quid praestitit Angelus custodiam?

Quæ vero officia circa nos præstent sancti custodes Angelæ, colligi potest ex toto libro Tobia: vbi Tobiam tuetur Angelus contra demones, & alia pericula, eundemque dirigit & docet; atque excitat ad bene agendum: cuius orationes Deo offerri & elemosynas: cuius etiam oblationis orationum mentio fit Apoc. 8. v. 4. Necne obest quod Deus orationes nostras intelligat per seipsum, vt non sit opus ipsi offerri per Angelos. Deus enim vult nihilominus per Angelos sibi offerri, & ascendere fumum incensarum, quæ sunt orationes sanctorum, in conspectu Domini, de manu Angeli, vt habetur Apoc. cap. cir. Desiquæ sicut demones variis modis nocent, aut nocere conantur interius & exterius, vt Scriptura testatur plurimis locis, & confirmant experientia frequentes, præsertim magica: sic è contrario variis modis iuuant Angeli boni: quæ interius illuminando & inspirando, per commotionem spirituum animalium, vel humorum, ad varias cogitationes & affectus excitandos: quæ exterius opponendo varia obiecta bona, & remouendo mala, arcendo demones, auerendo pericula, & alia id genus, de quibus sæpius Scriptura, & passim Sanctorum historia.

78.

D. Thom. Suar.

Dupliciter nos illuminare possunt visibilibus & invisibilibus.

Videri possunt hac de re S. Thom. & interpretes tota q. 113. & Suar. lib. 6. à cap. 16. vbi quod attinet ad illuminationem, rectè docet eam dupliciter fieri ab Angelis. Visibilibus scilicet: quando Angeli vel in corpore assumpto nos alloquuntur, & docent, aut aliter exterius proponunt sensibus nostris externis obiecta, quæ naturaliter sensus externos excitant ad sensationem externam, qua mediante causant etiam internam, & actum intelligendi qui naturaliter sequitur ex sensatione externa. Secundo, invisibilibus & pure interius non quadam agendo immoitate in intellectum & voluntatem, sed excitando phantasmas per commotionem humorum & spirituum vitalium. Quæ commotio, cum sit tantum motus localis, non superat virtutem Angeli, potestque ab illo ordinatissi-

Tomus I.

me fieri, ac multo melius & facilius, quam fiat à morbis, aut medicamentis, vt experimur sæpe fieri. Et quamvis species sensus interni non resideant in humoribus aut spiritibus qui commouentur; sed in ipsa organo, & in ipsa substantia viuentis, dependenter ab eisdem dispositionibus, à quibus vita ipsa pendet: vnde non possunt huiusmodi species ab vno ad alium transferri: alioqui posset demon, g. efficere vt cæcus à natiuitate haberet veram & germanam notitiam colorum, transmissis eorum speciebus à cerebro vnus ad alium, quod inauditum est: experimur tamen pro variis commotione aut temperie & affectione spirituum animalium aut vitalium, & humorum corporis, varias imaginationes in nobis excitari. Possunt autem Angeli tunc spiritus illos, & humores commouere; tum etiam variè temperare & alterare, applicando actiua passius, aut remouendo causas contrarias. Excitatis autem illis phantasmatibus, & operante sensu interno, intellectus mouetur ad cogitandum de obiectis ab Angelo intentis. Et mediante intellectione voluntas mouetur aut inditur ad affectus conuenientes obiectis. Atque ita mediante solum intellectus & voluntas mouentur ab Angelo illuminante.

Quod autem supra diximus Angelos singillatim deputari ad custodiam hominum, D. Thom. q. 113. art. 2. extendit ad singula genera vel species rerum corruptibilium, quæ similiter habeant Angelum, sibi specialiter deputatum; atque esse probabile singulis rerum speciebus sine Angelos præfici. Ex q. 110. art. 1. & 3. refert & approbat ex Origene tom. 14. in Numeros, mundo opus esse Angelis, qui præsent quoque bestis, & animalium natiuitati, & virtutum, & plantationum, & aliarum rerum incrementis, sine quorum speciali cura vix possent totum firmamentum tam diu conseruari, in totantisque elementis, lyderum, & aliorum aduersantium iniuriis. Ad id etiam ex Augustin. lib. 83. questionum q. 74. Vnamquamque rem visibilem in hoc mundo habet Angelicam potestatem sibi præpositam. Quod tamen de singulis generum, id est, de speciebus non autem de indiuiduis quibusque potest intelligi. Denique Aretas & Andreas Cæsariensis, ex Apoc. 14. vbi fit mentio Angeli aquarum, & Angeli super ignem potestatem habentis, colligunt Angelos esse quoque præpositos elementis. Cælorum verbè motum, Gentiles Philosophi, & in partibus Aristoteles, intelligentis rationem. Ex quibus colligit vitam sanctorum Angelorum non esse pure speculatiuam, sed ex parte practi-

Pacificum quoque est eius custodiam.

Thom.

O gen.

August.

Aretas. Andr.

YYyatitio